
RENAN

PHILOSOPHIA

N.10


NAZIONALE
BIBLIOTECA
B. Prov.
Miscellanea
A
38
273
VITTORIO EM. III
NAPOLI

DE

PHILOSOPHIA PERIPATETICA

APUD SYROS

COMMENTATIO HISTORICA

E TYPIS CRAPELET

VIA DICTA DE VAUGIRARD, 9

DE PHILOSOPHIA

PERIPATETICA

APUD SYROS

COMMENTATIONEM HISTORICAM

SCRIPSIT

E. RENAN



PARISIIS

APUD A. DURAND, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA DES GRÈS, 5

1852

DE

PHILOSOPHIA PERIPATETICA

APUD SYROS

COMMENTATIO HISTORICA.

PROLOGUS.

Operæ pretium duxi ex ordine referre fata philosophiæ peripateticæ apud Syros, quibus locum materia dignum plerique eorum qui historiam philosophiæ scribendam sumpserunt, suo certe silentio denegasse mihi videntur. Tenue quidem argumentum, si in seipso spectetur; sed non spernendum, si in historia ingenii humani expendatur. Syri enim gradum unum obtinent in illa traditione doctrinæ quæ ad nos usque auctoritatem philosophiæ antiquæ detulit. Arabas equidem in philosophia nihil vidisse nisi per Syros demonstrare conabor; quis autem negabit philosophiam Arabum rem summi momenti fuisse, magnamque partem sibi jure vindicare in augenda atque propaganda philosophiæ disciplina?

Jejuna forsan videbuntur multis lectoribus quæ hic proponuntur. At meminerint locum hunc ante-

hac fuisse intentatum, mihique satis futurum si lineis primis hanc materiam descripsero. Singulari fortuna, ac meorum civium beneficio qui juveni sumptu publico viaticum ad itinera philologica concesserunt, evolvere mihi contigit quotquot fere Europa continet codices syriacos ad philosophiam spectantes, Vaticanos, Mediceos, Parisienses, ac cæteris multo præstantiores qui ad Museum Britannicum delati sunt ex illa S. Mariæ Deiparæ Nitriensis bibliotheca inæstimabili, quæ nostra, proh dolor! esse poterat, si modo voluissemus Quæ jam ex illo thesauro eruerit antiquitatis monumenta cl. Gulielmus Cureton omnes docti sciunt. Ego vero ut supellectilem illam excussi, mox animadverti quæ alibi asservantur philosophiæ syriacæ reliquias nihili fere æstimandas si hisce comparentur, atque in his membranis quærendam esse totam, quæ superest, philosophiam Syrorum. Sparsa quidem, sed pretiosa documenta mihi, sicut omnibus syriacas litteras colentibus, offerebat Assemanus: at doctus Maronita codices philosophicos paucissimos evolvit, atque in hac laboris parte opus ex integro fere ordiendum erat. J. G. Wenrichius, in illa quam scripsit commentatione *De auctorum græcorum versionibus et commentariis syriacis, arabicis, armeniacis persicisque* (Lipsiæ, 1842), ea tantum, imo non omnia, quæ apud Assemanum legebantur, compilavit.

I.

De studio litterarum græcarum apud Syros.

Syrorum gens nec ingenio, nec vi armorum, nec rebus in historia gestis, admodum claruit. Syriacæ indolis proprium ac peculiare est quædam mediocritas. Poeseos dono illo divino, quo Hebræi vetustiores et Arabes inter Semitas excelluerunt, Syri omnino carent; mentis acuminis, quo Persæ et Armeni suam cum gentibus europæis cognationem demonstrant, simul expertes. Carmina apud eos frigida ac ludo puerorum similia, philosophia satis jejuna, litteræ fere nullæ nisi sacræ. Gens sua mansuetudine naturaliter christiana, usque ad nostram ætatem duravit, assueta malum pati, et a remotissimis quæ historicorum fide novimus sæculis alieno dominio subjecta.

Ut armis, ita moribus exterarum gentium Syria semper patuit. Mirum quam celeriter Græcia hanc regionem occupaverit ac sui juris fecerit. Inde ab Alexandri Magni ætate, Syria ciseuphratensis græca fit provincia, græcis artibus exculta, græcis urbium nominibus referta[1], ita ut ad litterarum græcarum magis quam syriacarum historiam pertineat de ratione horum studiorum agere. Græci sunt Lucianus, Porphyrius, Nicolaus Damascenus, Libanius, Nemesius, Numenius, Damascius, Æneas Gazæus, Zacharias Scholasticus, quanquam in

[1] Cf. Droysen, *Geschichte des Hellenismus*, t. II, p. 31, 58, sqq. — De lingua latina orientalibus plane ignota docte disseruit St. Quatremère (*Journal des Savants*, 1849, p. 407-408).

Syrorum tractu ortum acceperunt; græcæ sunt scholæ Berytensis, Antiochena; græca est ecclesia illa quæ Ignatii Theophori, Justini, Tatiani, Joannis Chrysostomi, Epiphanii, et sexcentorum aliorum laude floruit. Scio viros rusticanos et idiotas aramaice loqui non desiisse, etiam ea tempestate qua hellenicæ artes maxime in illis oris vigebant; scio Damascum, scio Beroeam utroque sermone sonuisse; scio in Galilæa et Palæstina usum linguarum ita promiscuum fuisse ut æquali fere acie pugnent viri docti disputantes quo sermone Christus et apostoli verbum prædicaverint, quanquam, ut dicam quod sentio, qui græce contendunt mihi litem vincere videntur[1]. At nos, qui fata litterarum inquirimus, nihil habemus quod lucremur in hac provincia, utque Syrorum genuina studia inveniamus, Euphrates nobis trajiciendus.

Etenim trans Euphratem paulo diversa rerum ratio fuit[2]. Græcam linguam hanc regionem perva-

[1] Palmare argumentum nobis est omnes auctores Novi Testamenti ad unum græce scripsisse. Qui Matthæum ἑβραϊστί, ut aiunt (id est syro-chaldaice) scripsisse volunt, quamvis fama vulgatissima nitantur, non audiendi. Notatu dignum Marcum solum referre plurima verba Christi syriace (v, 41; vii, 34; xv, 34). Matthæus semel id facit (xxvii, 46) Marcum sequens. Lucas et Joannes omnino græci sunt.

[2] Auctoritates in hac quæstione qua solet diligentia congessit Quatremère, *Mémoire sur les Nabatéens*, p. 132 et sqq. — Eamdem materiam docte tetigit J. Wichelhaus, in suis nuper editis *De Novi Test. versione syr. antiqua*, libris quatuor (Halis, 1850), lib. I, cap. iii. — Cf. etiam Cramer, *De studiis quæ veteres ad aliarum gentium contulerint linguas* (Sundiæ, 1844), cap. v, et Villemain, *Tableau de l'éloquence chrét. au* iv[e] *siècle*, p. 244 (1849).

sisse ut non infitiandum, ita certum est linguam vernaculam ibi non exstinctam fuisse. Viri litterati soli, si modo omnes litterati, docti erant sermones utriusque linguæ; lingua syriaca non tantum apud vulgus in usu erat, sed litteris mandabatur. Seleucidæ, ut omnes sciunt, paucissimis annis Syriam transeuphratensem tenuerunt[1]. Sub Arsacidis, quanquam ipsi se φιλέλληνας dici gaudebant, linguaque græca in nummis suis utebantur, litteras nullas video in Syria floruisse[2]. Occurrit quidem nobis magnum disputandi argumentum, litteratura illa Nabatæorum, de qua tam multa exstant Arabum testimonia, et cujus insigne monumentum superest arabice versum, liber *De agricultura Nabatæorum*. Libros Nabatæorum dialecto quadam aramaica scriptos fuisse invicte demonstravit vir doctissimus Stephanus Quatremère[3], et ego quidem,

[1] Inscriptionum græcarum in Syria citra Euphratem dum seges habetur amplissima, vix unam et alteram, easque barbarie squalidas, trans Euphratem repertam refert Boeckhius, *Corp. Inscript. græc.*, vol. III, p. 277.

[2] Quæ Armeni fabulantur de archivis Edessenis et de Mar Iba Cadinensi syro, græcas chaldæasque litteras callente, qui circa annum 150 ante Christum natum, ut aiunt, Armenorum historiam digerere cœpit, nullam fidem mereri videntur. Cf. Mosem Khorenensem, *Hist. Arm.*, lib. I, cap. VIII et IX (t. I, p. 41, sqq. vers. Levaillant de Florival). — Non tamen tacenda sunt quæ apud Plutarchum, vita Crassi, sub finem, leguntur de Artavasde, rege Armenorum, « qui tragœdias faciebat, et orationes historiasque conscribebat, quarum quædam adhuc exstant. » Porro quum caput Crassi allatum est, *Bacchæ* Euripidis coram rege recitabantur. Orodes etiam litterarum græcarum non ignarus erat. Agathangelus eadem fere quæ Plutarchus refert (*Hist. S. Greg. Illum.*, p. 375, 377).

[3] *Mémoire sur les Nabatéens*, p. 91, sqq.

quum mecum considero omnes fere hos libros physici, magici aut astrologici argumenti fuisse, porro Nabatæos solitos fuisse Adamo, Noemo aliisque patriarchis libros attribuere, denique omnes auctores uno ore prædicare id peculiare fuisse dialecto Nabatæorum ut litteræ gutturales inter se in usu promiscuo essent; simulque animadverto hæc omnia mire convenire linguæ et ei quæ superest litteraturæ Sabæorum, alio nomine dictorum Nazoræorum, Mendaitarum, etc., vix a me impetrare possum quin certo adfirmem scripta illa quæ dicuntur Nabatæorum priscam fuisse et genuinam litteraturam Syrorum, atque hanc usque ad nostram ætatem durasse in secta Nazoræorum, quæ utinam maturiori examini subjiciatur a viris doctis qui hisce studiis operam dant[1]! Attamen, quoniam litteræ illæ proprium nomen sibi vindicant, absque ratione, ut mihi videtur, ad Syros quos vocamus referantur, rectiusque dicendum puto, neglecta illa veteri philosophia ethnica, litteras apud Syros non antea initia cepisse quam christiani facti sunt[2]. Tunc versio quæ *Peschito* (simplex) dicitur, fuit confecta, circa annum 200; tunc Bardesanes utraque lingua græca et syriaca φιλοσοφούμενα ex utroque

[1] Imo lubens crediderim quosdam, qui a veteribus laudantur, *libros Chaldæorum* ad hanc sectam referendos. Unum locum memorabo Bardesanis, quem erui e codice Musei Britannici 14658, in quo legitur fragmentum astrologicum quod ex his libris depromptum dicitur (Cf. *Journal Asiatique,* April. 1852).

[2] Moses Khorenensis asserit Romanos Edessæ scholam duplicem in qua tum græce tum syriace docebatur condidisse. At istud de tempore quo religio christiana jam in istis regionibus invaluerat, intelligendum est (op. cit. p. 245).

fonte desumpta et confusa edere cœpit[1]; tunc denique incipit longa series operum quæ Syri abhinc usque ad nostram ætatem populari lingua in lucem proferre non destiterunt.

Ex his apparet cur litteræ Syrorum, quales ad nos delatæ sunt, omnino græcum et christianum præ se ferant colorem, ita ut Syria, etiam illa quæ syriace loquebatur, provincia byzantina videatur. Artes utrinque simillimæ sunt; vide modo picturas insignes codicis Medicei quas Evodius Assemanus ære incidendas curavit[2]. Auctores recepti iidem sunt, nempe Patres ecclesiæ græcæ syriace versi; controversiæ eædem, hæreses eædem. Evenit enim ut sectæ quæ ortæ apud Græcos fortunam brevem in natali solo habuerunt, apud Syros mire propagatæ ac conservatæ sint; ita ut fere ad ætatem nostram apud Syros duraverint opiniones quæ apud Græcos sæculo uno amplius spatium vivendi non habuerunt. Sic Eutychianus seu monophysiticus error apud Jacobitas seu Severianos; sic Nestoriana placita apud Chaldæos seu Syros orientales; sic Monothelitarum dogmata apud Maronitas sibi supervixerunt : hi tamen sæculo jam XIII exeunte cum ecclesia romana pacem iniere.

Nunc vides, ni fallor, quare Aristotelem tantopere Syri deamaverint. Etenim quum Syrorum studia studiorum græcorum qualia vigebant sæculo IV vel V plane faciem referant, Aristoteles ipsis philosophus κατ' ἐξοχήν non esse non potuit. A Græcis ad Syros,

[1] Græce et syriace scripsisse Bardesanem probat A. Gallandius, *Bibl. vet. patrum gr. lat.*, t. I, Proleg. p. CXXXIII.

[2] Ad calcem *Catalogi codd. orient. bibl. Med. Laurentianæ*, quem ipse confecit.

a Syris ad Arabas transmissus fuit Aristoteles. Quod quia pauci viderunt, causa fuit figmenta multa excogitandi, dum viri docti causam quærerent fortunæ Aristotelis in Oriente. Arabes enim et Syri Aristotelem in illa scholarum græcarum frequentia, non elegerunt sed acceperunt. Arabes linguæ et litterarum græcarum plane rudes, nullos auctores habuerunt nisi quos Syri ipsis tradebant : Syri vero nihil sponte sua in hac re fecerunt ; sed secuti sunt magistros suos græcos. Causa ergo fortunæ Aristotelis tum apud Syros, tum apud Arabas, tum apud Byzantinos, tum apud scholasticos latinos, ad homines græcos IV, V, VI sæculi referenda est. Viri doctissimi qui scholæ alexandrinæ placita describere studuerunt, probe ostenderunt quo pacto a Platone mox desciverit schola illa potius pseudoplatonica quam neoplatonica, et quibus gradibus Aristoteles, primo ut *logicus* æqualis magistro divino, dein superior evaserit, quod in doctrina Porphyrii, Ammonii, Plutarchi, Themistii, Syriani, Procli, Damascii, Simplicii videre est[1], qui tanto aut meliori jure peripatetici quam platonici dici debent. Hoc, ut opinor, primus bene vidit v. cl. Ravaissonius. Perperam olim credebatur Aristotelem, post brevem in Lyceo discipulorum seriem, oblivione demersum fuisse, donec, philosophia veteri labefactata, studio barbarorum hominum clarior revivisceret. Nunc vero scimus Aristotelis auctoritatem nunquam apud antiquos periisse, aut saltem ita refloruisse, vergente ad occasum schola alexandrina, ut scholastici nihil in ea re novandum habue-

[1] Εἰς τὴν θειοτέραν φιλοσοφίαν ἐξώρμησε τὴν Ἀριστοτέλους (Damascius, in vita Isidori, p. 122, edit. Didot).

rint. Apud christianos qui litteras colebant, eadem opinio invaluit. Peripatetici sunt, nisi quod aliquid platonicæ elegantiæ in scriptorum forma retinent, doctores fere omnes v, vi, et vii sæculi, Æneas Gazæus, Zacharias Scholasticus, Joannes Philoponus, Joannes Damascenus; peripatetica est philosophia ecclesiastica; peripateticæ sunt hæreses hujus ætatis[1]. Joannes præcipue Damascenus, quum logicam Aristotelis ut instrumentum theologiæ dogmaticæ, et pedisequam fidei orthodoxæ extolleret, scholasticorum princeps non sine jure dici meruit. Ita factum ut Aristoteles ille quem Patres primævi tam vehementer exagitaverant ut hæresium auctorem, fidei propugnator repente evaderet, atque, ut aiebat quidam, Ecclesia aliquo suo dogmate caruisset, si Aristoteles non vixisset[2].

Series ergo continua est a schola inde alexandrina usque ad Syros, a Syris ad Arabas, ab Arabibus ad scholasticos. Neque scholastici, neque Arabes, neque Syri Aristotelem ultro sibi magistrum aliis optaverunt, sed monstratum secuti sunt, Græcorum studia amplexi atque imitati. Idem evenit apud Armenos qui sub idem tempus in disciplinam Græcorum educandos se tradiderunt. Ut nihil differt David Armenus ab Ammonio, Simplicio, Philopono, quod attinet ad philosophandi rationem, ita studiis Armenorum et Syrorum facies una est. Id etiam fatendum, Aristotelem, quum veras

[1] Cf. H. Ritteri *Hist. philos. christ.*, libro VII, cap. I et sqq. — J. F. Buddei dissertationem *De hæresibus ex philosophia peripatetica ortis*, in *Observationibus Halensibus* (1700), p. 173, sqq. — Brucker, *Hist. crit. philos.*, t. III, p. 534.

[2] Cf. Bayle, art. *Aristote*, not. I.

atque communes omni humanitati ingenii virtutes et a natura acceperit et in suis operibus descriptas exhibeat, omnibus gentibus esse accommodatum. Plato nimium græcus est, barbarisque placere non poterant istius scribendi generis lepores. Aristoteles contra hominem magis præ se fert quam græcum civem. Quocumque *Organon* illud delatum fuerit, sive ad Sinas, sive ad Indos, sive ad Æthiopas, omnibus lex ingenii humani habebitur, non secus atque *Elementa* Euclidis omnes qui intellexerint fide amplectentur. Adde quod Aristoteles auctoritatem et gloriam suam præcipue logicæ debuit, quæ solet esse unica philosophia ingenii humani senescentis. Inter partes enim philosophiæ, logica, profligatis litterarum rebus, ultima superesse, atque, animis rursus incalescentibus, prima renasci solet. Quapropter ille barbaris summopere acceptus non esse non poterat, qui se artem hanc primam docere profitebatur.

II.

Aristoteles a Nestorianis ad Syros delatus. — Schola prisca Edessena.

Syri non videntur ullam curam impendisse litteris profanis, antequam Nestorianorum opinionibus imbuerentur. Scripturæ sacræ Patrumque operibus totum tempus in scholis erogabatur : Ephræmus, decus Syrorum hujus ætatis, litterarum græcarum omnino rudis fuit. Verum ubi doctrina Nestorii invaluit in schola Edessena, tota disciplina hellenicæ ἐγκυκλίου παιδείας simul trans

Euphratem recepta est. Viris litteratis nestoriana dogmata summopere placuisse videntur; ac silentio præteriri nequit quantum secta illa apud Orientales ad excolenda ingenia profuerit. Persarum, sub imperio regum Sassanidarum, tota studia a Nestorianis originem ducebant, Arabasque ab iisdem philosophiæ græcæ rudimenta hausisse mox, nisi spes me fallit, demonstrabo. Indiam, Tartariam, Mongoliam, Sinarum imperium incredibili ardore conciti pervaserunt[1], Oigurosque litteris uti docuerunt. Denique per totam Asiam Nestoriani *Periodeutæ*, ut dicebant, et fidem christianam et litteras syriacas simul invexerunt.

Quo tempore et quo pacto nestoriana placita apud Syros sibi fidem fecerint diu est disputatum. Assemanus vero litem diremit[2], probavitque nestorianismum a Syris receptum fuisse circa tempora synodi Ephesinæ (anno 431). Imo Syri contendunt se hanc doctrinam ante Nestorium tenuisse, nec unquam aliter de Christi persona sensisse. Utcumque sit de hac quæstione opinandum, quam theologis viris solvendam relinquo, certum est scholam Edessenam, quæ *schola Persarum* dicebatur, primum his opinionibus fuisse infectam, indeque Persas hæresim hanc didicisse, quam postea per totam Asiam superiorem divulgaverunt.

[1] Cf. Assemani *Bibl. orient.*, t. III, pars alt. cap. IX. — *Recueil de voyages et mémoires publiés par la Société de Géographie*, t. IV, p. 25 et sqq. — Gulielmi de Rubruk Itinerarium, ibid. p. 301, sqq. — Paulini a S. Bartholomæo *Examen hist. crit. codd. indicorum bibl. Propag.*, p. 68, 69. — Reinaud, *Géogr. d'Abulfeda*, Introd. p. CD, sqq.

[2] *Bibl. orient.*, t. III, pars alt. p. LXVII, sqq.

Ibas, presbyter dein episcopus Edessenus, auctor hujus erroris dici meruit, tum ob epistolam suam ad Marim Persam quæ quasi neotericorum symbolum fuit, tum quia e græco in syriacum transtulit commentarios Theodori Mopsuesteni, qui hujus erroris antesignanus fuit in Oriente.

Quod autem ad rem nostram attinet, Aristoteles simul cum nestoriana doctrina apud Edessenos civitate donatus est. Etenim, quum omnes ecclesiæ primævæ hæretici, tum præ cæteris Nestoriani Aristoteli impensissime dediti erant. Hæreticos fere omnes hujus ætatis plurimum in dialectica versatos fuisse, atque a fide orthodoxa seductos quia logicam Aristotelis in dogmatibus Christi enucleandis imprudenter adhibere nitebantur, probe demonstraverunt Launoius[1] et Jo. Fr. Buddeus[2]; nec aliunde originem habuit furor ille disputandi de rebus theologicis, qui ecclesiam græcam IV et V sæculo pervasit, quam ex usu logicæ peripateticæ. Etenim, quum dogmata de Trinitate ac de Incarnatione Verbi sæculo III et IV ineunte, eo ipso tempore quo platonica philosophandi ratio regnabat, concepta fuissent, ubi Aristoteles invaluit, ac logica peripatetica mensura omnium rerum facta est, difficultatum seges exorta. Hinc sectarum infinita nomina, Nestorianorum, Monophysitarum, Monothelitarum, Agnoetarum, Tritheistarum, quæ omnes e distinctionibus peripa-

[1] *De varia Aristotelis fortuna*, cap. II.

[2] *De hæresibus ex philosophia aristotelica ortis*, inter *Observat. Halenses* (anni 1700), p. 176, sqq. — Rem luculenter tetigit nuper coram Facultate Parisiensi disputans Car. Allemand-Lavigerie, *De l'école chrét. d'Édesse*, p. 102, sqq.

teticis originem ducebant. Mos hic præcipue in Cilicia et Syria invaluit, ubi nestorianus error quasi radices semper habuit. Sic ante Nestorium videmus Artemonem, Paulum Samosatensem, Diodorum Tarsensem, Theodorum Mopsuestenum eamdem fere doctrinam eadem argumentorum ratione tuentes. Eusebius Artemonem et Paulum Samosatensem acerrime reprehendit quod Aristotelem et Theophrastum nimium suspicerent, et, Scripturarum simplicitate postposita, per syllogismos fucum facere auditoribus mallent[1]. Theodorus Mopsuestenus, teste Sozomeno[2], doctrinas philosophorum apprime callebat. Theodoretus Cyri, qui Antiochiæ Nestorii condiscipulus fuerat, ad calcem dialogi cui titulus Ἐρανιστής, Incarnationem Christi per syllogismos demonstravit. Idem Theodoretus dialecticam laudibus multis effert[3]. Tota hæc schola theologorum, ut vides, syra est et cilix; eadem et peripatetica, atque ideo longissime diversa ab indole Patrum Cappadociæ, qui alia prorsus philosophia utebantur.

Nemo ergo mirabitur et nestorianismi et aristotelismi eumdem fuisse conditorem apud Edessenos, nempe Ibam illum celeberrimum in controversiis sæculi v[4]. De quo hæc refert Ebedjesu, in

[1] *Hist. eccles.*, lib. V, cap. xxviii, sqq.; lib. VII, cap. xxvii, sqq. (edit. Heinichen).

[2] Lib. VIII, cap. ii (p. 326, edit. H. Valesii).

[3] Apud Launoium, l. c.

[4] Viro cl. Stephano Quatremère assentiri non possum, dum *Ibam* idem putat sonare atque *Abba* (*Journal des Savants*, 1850, p. 365). Scribitur enim syriace *Ichibo*, quod ex alia radice derivatur.

catalogo rhythmico scriptorum syrorum, quem confecit:

> Hibas, Cumas et Probus
> E græco in syriacum
> Transtulerunt libros *Commentatoris*
> Atque Aristotelis scripta[1].

Commentator ille est Theodorus Mopsuestenus quem oraculi loco habebant Syri. Res dubia esse non potest, quum aliunde constet Theodorum sic appellatum κατ' ἐξοχήν apud Syros[2], aliisque testimoniis doceamur Ibam a Theodoro translato *Interpretis* nomen nactum esse[3].

Qui vero sunt illi duo Ibæ adjutores adscripti? De Cuma non aliam mentionem apud scriptores reperio. Probus autem in opere de historia rei litterariæ Arabum, quod vocatur *Kitâb-el-Fihrist,* memoratur, ibique vocatur per transpositionem litterarum *Phubrius*[4]. Ibidem ipsi tribuuntur expositiones in libros Interpretationis, Analyticorum priorum (tribus modis) et Sophisticorum Elenchorum. Quæ omnia periisse credebantur, antequam codices S. Mariæ Nitriensis lectioni publicæ in Museo Britannico propositi essent. Codex hujus bibliothecæ qui nu-

[1] Assem. *Bibl. orient.*, t. III, parte I, p. 85-86. — Wenrich, *De auct. græc. versionibus*, p. 130. — Perperam Hottingerus scribit « *Cumæum*, adhibitis sociis *Hiba* et *Pharuba*, ex græco idiomate in syriacum transtulisse scripta Aristotelis aliaque ἑρμηνευτικά. »

[2] Assem. Ibid. p. 30.

[3] Ibid. p. 85, not.

[4] Codd. Bibl. nostræ Maximæ, suppl. arab. n° 1400[2], f. 85 v°, 86, 86 v°. — Hottinger, *Bibl. orient.*, p. 222, 223, 230.

merum fert 14660, continet Probi expositionem in librum Περὶ Ἑρμηνείας, quinque sectionibus absolutam, paginas 91 complectentem, initioque mutilam. Monumentum hoc vetustissimum philosophiæ syriacæ manibus tractavi, summaque industria elaboratum comperi. Verba Aristotelis suo tenore referre Probus non curat; doctrinam vero philosophi ipse exponit. Dignus esset is commentarius, sæculo v medio conscriptus, ab auctore qui Syriano, Ammonio, Proclo, Davidi Armeno æqualis fuit, imo forsan ætate superior, qui melius viris doctis innotesceret. Quam operam ut præstem, tempus et libelli hujus ratio nunc non sinunt.

En habemus antiquissimum Aristoteli impensum laborem apud Syros. Videntur tamen Ibæ, Cumæ et Probi opera (si modo tres isti, quod equidem non opinor, Aristoteli curas adhibuerunt) non fuisse vulgatissima, quandoquidem sæculo proxime sequenti Jacobitæ rem ex integro reficiendam sumpserunt, atque inter eos Sergius Resainensis uno ore prædicatur, qui *primus* Aristotelem syriacum fecit. At nihilo secius certum est Nestorianos scholæ Edessenæ primos omnium Aristoteli apud Syros favorem conciliasse, atque Jacobitas uno fere integro sæculo in his studiis præcessisse[1].

Gravissima persecutio, quæ contra Nestorianos paulo post exorta est, fructus bonos horum studiorum tantum non oppressit. Etenim edesseni doctores, qui Nestorio favebant, a Rabula episcopo, qui pro Cyrillo stabat, anno 432 e suis sedibus pulsi, non ante fortunam mitiorem habuere, quam, mor-

[1] Cf. Assem. *Bibl. orient.*, t. III, part. II, p. CMXLIII.

tuo Rabula, Ibas in ejus locum suffectus est. At is erat sectarum furor! Zenonem imperatorem adversus Nestorianos edessenos malevoli quidam concitarunt, ipsiusque jussu doctores ejiciuntur, atque Academia funditus evertitur, anno 489[1].

III.

Aristoteles a Syris ad Persas delatus. — Paulus Persa.

Sed hæc calamitas studiis humanioribus augendis apud Orientales valde inserviit. Nestoriani profugi magnam partem Persidem petiere, litterisque juvandis plurimam operam sub Sassanidis contulere. Favorem enim regum quum sibi conciliassent, summis rebus gerendis adhibiti sunt[2]. Perozes præ cæteris Nestorianis impense favebat, iisque sedes episcopales fere omnes commisit; ita ut Persis tota ad Nestorianos transiret. Hæc causa fuit cur studia Græcorum apud Persas ardore incredibili colerentur, atque lingua syriaca simul et græca virorum doctorum sermonibus pariter celebrarentur[3]. Jampridem in schola Edessena (quæ inde dicta est *schola Persarum*) Persæ horum studiorum prima rudimenta ceperant. E ruinis scholæ Edessenæ

[1] Cf. Assemani *Bibl. orient.*, t. III, part. II, p. CMXXVI.

[2] Ibid., p. LXXXVII, sqq. — Wichelhaus, *De N. T. vers. syr. ant.* lib. III, cap. II. — Multa dabit etiam Renaudotii opus ineditum *De Nestorianis*, cujus apographum possidet nostra Bibliotheca Maxima.

[3] Cf. Quatremère, *Mémoire sur les Nabatéens*, p. 137. — Idem fere evenit apud Armenos, qui Syris etiam prima litterarum rudimenta debuerunt.

exortæ sunt scholæ Nisibis et Gandisaporæ, quæ splendorem suum Nestorianis præcipue debuerunt. Scholæ vero illæ ad rationem studiorum græcorum omnino accommodatæ erant. Gandisapora academiam hippocraticam se jactabat[1], totiusque medicinæ in Oriente fecit initium. Neque spernas, lector, hæc urbium nomina ut minus nobilia; ibi enim, dum litteræ prorsus toto orbe laberentur, servati sunt igniculi qui lumen ingeniorum denuo accensuri erant, quanquam, ut opinor, non recte a quibusdam dicitur Gandisaporæ ad exemplar scholas medicinæ medio ævo fuisse conditas, indeque graduum academicorum institutionem fuisse petitam. Rectius dixeris a Gandisapora prodiisse viros doctos qui magistri Arabum in medicina et philosophia exstitere, atque ita de restituenda disciplina medica summopere meriti sunt.

Tempore præsertim Chosrois Magni, Persis ingenii græci in Græcia marcescentis fit refugium. Quis nescit aulam regis barbari asylum fuisse philosophorum qui sævientem in eos Justinianum fugiebant[2]? Rex ipse his studiis delectabatur. Platonicus dici volebat, atque, ut refert Agathias[3], « græcanica scripta sibi ab interprete in linguam persicam converti curavit, aiuntque ipsum totum Aristote-

[1] Cf. Abulfaragii *Dynast.* (edit. Pococke) p. 82. — Sprengel, *Hist. med.*, t. II, p. 279, sqq. — Heeren, *Geschichte der class. Litt. im Mittelalter*, t. I, p. 112, 116. — Assem., t. III, part. II, p. CMXXVI. — Wenrich, *De auct. græc. vers.* p. 9, 62.

[2] Cf. Agathiam, *De regno Justiniani*, lib. II, p. 69. Paris. 1660. — Jos. Kopp, Præf. ad Damascium, Περὶ ἀρχῶν, p. IX, sq. — Ravaisson, *Essai sur la métaph. d'Arist.*, t. II, p. 557.

[3] Ibid., p. 66.

lem melius ebibisse quam Demosthenes Thucydidem, platonicisque dogmatibus adeo refertum fuisse ut ne *Timæus* quidem ejus intelligentiam fugerit, sed neque *Phædon*, neque *Gorgias*, neque alius quisquam ex elegantioribus et difficilioribus ipsius dialogis, cujusmodi arbitror est *Parmenides.* » Opinio autem tunc temporis invaluerat apud homines suorum æqualium et christianæ religionis osores, Persida veram imaginem exhibere reipublicæ moribus ac regimine perfectæ, qualis legebatur in *Indicis*, *Æthiopicis*, aliisque fabulis milesii, ut vulgo dicitur, generis, quæ pro veris accipiebantur; ut solent homines Campos in longinquo Elysios somniari, ubi præsentia vel loca vel tempora displicent. « Existimabant, ait Agathias, persicam disciplinam longe præstantiorem, hisce videlicet rebus quæ a multis celebrantur persuasi apud Persas principatum æquissimum esse et qualem Plato describit, philosophia et regno in unum conspirante; probos vero ac modestos subditos, sed neque fures ibi nasci, neque prædones, neque alia facinora perpetrantes. *His itaque rebus ut veris exciti....* » simplicissimi hominum! in Persidem profecti sunt. At quantum mutati animi, quum regem barbarum ac mores ut apud Orientales fere solet atrociter sævos propius viderunt! Græciam philosophiæ infensam Persidi se amicam ac tutricem profitenti prætulerunt.

Syri nestoriani sedes stabiliores quam græci philosophi apud Persas sumpserunt. Inter philosophos qui aulam Chosrois ornabant, syrum hominem invenimus Uranium, sectæ aristotelicæ addictum, cujusque disputationes coram rege ha-

bitas fuse refert Agathias[1]. Rex nempe ut animos recrearet, coram se jubebat catholicos et Nestorianos congredi, ancipitique victoriæ discrimine gaudebat[2]. Aristotelem horum studiorum in logica fuisse magistrum nemo non intelligit. Ipsius opera persice fuisse versa colligitur ex Agathiæ verbis supra laudatis, quæ fere exscribit Suidas (v. Χοσρόης). Credet qui voluerit[3]. Habemus autem horum studiorum insigne ac inæstimabile monumentum, quod nobis servavit codex 14660 Musei Britannici, olim S. Mariæ Deiparæ; epitomen dico logicæ peripateticæ quod Chosroi obtulit Paulus Persa, unus ex his Nestorianis qui regis barbari majestatem græcis artibus recreabant. Barhebræus cognovit hoc opus pretio singulare, quod ab eo vocatur *Introductio mirabilis in Dialecticam,* idemque narrat Paulum nostrum, quum patriarchatum christianorum orientalium impetrare non potuisset, fidem christianam abjurasse, et sectæ magorum nomen dedisse[4]. Operi præmissa est præfatio sententiarum gravitate nobilis, cujus hic magnam partem latine versam apponere lubet.

« *Sermo compositus a Paulo Persa super opus logicum Aristotelis philosophi, ad regem Chosroem.*

« Fortunato Chosroi, regi regum, optimo hominum, Paulus servus tuus, salutem. Philosophia,

[1] Lib. II, p. 67, sqq. 71. — Suidas, v. Οὐράνιος.

[2] Assem., t. III, pars I, p. 408.

[3] Qua ratione ductus de Gerando (*Hist. comparée des syst. de phil.*, t. IV, p. 195) asserat Uranium transtulisse quædam opera Aristotelis, jussu Chosrois, plane nescio, nec ipse forsan melius sciebat.

[4] Assem., t. III, pars I, p. 439.

quæ est scientia vera universi, est in te, et ex philosophia illa quæ est in te offero tibi munus. Nec mirum videri debet quod ex paradiso dominii tui offeram tibi munus, siquidem ex creaturis Dei Deo victimas offerre solemus. Munus vero quod offero tibi oratione constat[1]; philosophia enim per orationem profertur, philosophia, inquam, quæ est optimum omnium munerum. Ipsa est enim philosophia quæ de se loquens dixit : « Fructus mei meliores sunt « auro puro, et fruges meæ argento electo[2]. » Etenim fructus ejus sunt salus, fortitudo, potentia, dominium, potestas, regnum, pax, justitia, leges. Denique omnes res bonæ quæ sunt in mundo per sapientiam factæ fuerunt et gubernantur. Sicut oculus animi qui est cæcus privatusque visu rerum omnium per eam solam illuminatur et incarnatur : ipsa melior est millibus millium oculorum carnis; est enim oculus solus verus, omnia videns, propter affinitatem quam habet cum veritate quæ est in universo. Sicut enim oculus corporis, propter habitudinem suam cum lumine, videt exteriora; ita oculus animi propter affinitatem suam cum lumine intelligibili quod est in universo, lumen quod est in universo videt. Et perinde atque homo cujus oculi corporei debiles sunt ad lumen sensibile, aut nequaquam, aut parum videt; ita ille cujus oculi animæ non assuefacti sunt ad lumen intelligibile, aut nequaquam, aut parum videt. Præclare ergo quidam philosophus : « Sapiens habet oculos suos « in capite; stultus autem in tenebris ambulat[3]. »

[1] Vox syriaca *melto* omnes sensus vocis λόγος complectitur.
[2] Prov., VIII, 19.
[3] Eccles., II, 14.

Ut fugerent has tenebras funestas, et viderent lumen excellens, multi ex antiquis vitam suam impenderunt: invenerunt enim ex curis omnibus curam animi longe excellentissimam. Homo enim ex anima et corpore componitur; anima vero tanto corpori superior est quanto rationale præstat non rationali, et animal enti non animato: quippe per animam suam homo est animal rationale. Cultura vero et ornatio animæ est scientia. Scientia autem duplex est: aut eam homo ipse quærit et invenit, aut ex magisterio recipit. Magisterium rursus duplex est: unum simpliciter ab homine ad hominem defertur; alterum ab hominibus illustribus, apostolatu decoratis, prædicatur. Magistri vero inveniuntur inter se ex adverso pugnantes. Quidam eorum dicunt unum esse Deum; alii Deum non esse unicum. Quidam dicunt Deum habere contraria; alii id negant. Quidam affirmant eum omnipotentem; alii eum cuncta non posse facere. Quidam contendunt mundum et omnia quæ in eo sunt esse creata; alii volunt omnia non esse creata; atque inter hos alii res ex materia factas asserunt, alii mundum nec initium habuisse nec finem habiturum opinantur: alii aliter sentiunt. Quidam volunt hominem habere libertatem sui arbitrii, alii huic opinioni adversantur. Sunt alia multa de quibus simili modo dissentiunt ac se invicem redarguunt. Impossibile est igitur illorum omnia dogmata simul amplecti; neque quidquam aliud restat nisi ut, altero relicto, unum amplectamur, atque, altero rejecto, unum eligamus. Quapropter necesse est ut cognoscamus perspicue rationes quibus innixi opinionem unam dimittamus alte-

ramque amplectamur. Sed indicium nullum est quo id prima fronte perspicere possimus. Idcirco cognitio harum opinionum scientiam et fidem æque respicit. Scientia enim agit de rebus proximis et manifestis et quæ sciri certa ratione queunt; fides vero de rebus longinquis et invisibilibus et quæ sciri certo nequeunt. Illa quidem cum dubio est, hæc vero sine dubio: porro omne dubium parit dissensionem; contra, quando dubium nullum est, fit unanimitas. Scientia ergo potior est fide; sed Deus potior est scientia. Etenim etiam credentes investigant res fidei, et scientiæ faciunt apologiam, quum dicunt futurum esse ut olim sciamus quod nunc credimus....

« *Explicit sermo de tota arte logica Aristotelis, compositus a Paulo Persa e civitate Deirschar, ad regem Chosroem.* »

Mene ipse decipio quando miror syrum hominem regem barbarum sic alloquentem sæculo VI, tamque perspicue eclecticismi sententiam hac ætate profitentem; an potius Syria et Persis, in illa quæ tunc erat miserrima philosophiæ conditione, receptaculum fuere bonarum disciplinarum reliquo orbe terrarum tristi naufragio pereuntium?

IV.

De studiis peripateticis apud Jacobitas, ac primo de schola Resainensi.

Paulo serius, sed non minori ardore quam Nestoriani, Monophysitæ seu Jacobitæ Aristotelem

receperunt. Ipsa quidem eorum doctrina theologica a peripatetismo proxime derivabatur; quam vocat Joannes Damascenus « dæmoniorum inventum tenebrosum, et græcorum præstigiorum figmentum [1], » additque : « Quis sanctorum Patrum hæc dixit unquam, nisi forte *sanctum apud vos Aristotelem* nobis obtrudatis, ut tertium decimum apostolum, et doctoribus numine afflatis idololatram præferatis [2]. » Severus Antiochenus, hujus erroris apud Syros conditor, acerrimus peripateticus erat, de quo S. Gregorius Nazianzenus : « Is apud Severum optimus agnoscitur theologus, qui in Prædicamentis Aristotelis et in cæteris quæ apud philosophos sunt præclara, fuerit exercitatus [3]. » Quis nescit Joannem Philoponum simul monophysitam, imo tritheistam, atque Aristotelis commentatorem fuisse? Jam Tritheistarum pater, Joannes Ascusnaghes, ipse Syrus erat, atque in schola Resainensi fuerat educatus [4]. Scholæ et monasteria Jacobitarum, in urbibus præcipue Resaina et Kinnesrin, aristotelicæ erant; atque ab initio sæculi VI deinceps non deerunt in hac secta qui *Organon* commentariis atque enarrationibus illustrabunt.

Auctor præcipuus horum studiorum fuit Sergius

[1] Δαιμόνων εὕρημα σκοτεινὸν, καὶ τῆς ἑλληνικῆς τερθρείας τεράτευμα. *Contra Jacobitas.* Opp., t. I, p. 399 (edit. Lequien).

[2] Τίς τοῦτο τῶν θεοφόρων εἴρηκε πώποτε; εἰ μή που τὸν παρ' ὑμῖν ἅγιον Ἀριστοτέλην ἡμῖν, ὡς τρισκαιδέκατον ἀπόστολον, εἰσαγάγοιτε, καὶ τῶν θεοπνεύστων τὸν εἰδωλολάτρην προκρίνοιτε. Ibid.

[3] Apud Launoium, *De varia Arist. fort.*, cap. II. Alios Patres eadem fere de Severo prædicantes laudat ibi Launoius.

[4] Cf. Assem. *Bibl. orient.*, t. II, p. 327, sqq.

Resainensis *episcopus et archiater*[1], Justiniani et Chosrois æqualis. Eum ex archiatro episcopum factum esse credibile est; attamen eumdem simul et episcopum et medicum fuisse nemo mirabitur qui statum medicinæ his temporibus atque studiorum sacrorum et profanorum apud Syros conjunctionem noverit. Pauca quidem de vita ipsius nota sunt. Barhebræus in *Chronici syriaci* parte inedita[2] narrat eum, quum archiater esset Resainensis, episcopum suum criminibus lacessivisse apud cives suos, ut in expulsi et condemnati locum sufficeretur; jam per fraudes varias inserviisse factioni Monophysitarum, Romamque ivisse ut Agapetum papam indesecum Constantinopolim abduceret. Hæc autem testimonia pro suspectis habet Assemanus, cui lubens assentior, quamvis munus interpretis quo fungebatur Sergius huic narrationi fidem conciliare videatur. Malim tacuisset Barhebræus quæ sequuntur: « Sergium virum eloquentem fuisse, et in græcis ac syriacis litteris versatum, eumdemque in arte medendi peritissimum; voluntate quidem eunuchum, moribus vero admodum corruptis ac turpibus, et luxuriæ vitio necnon avaritiæ inquinatum. » An idem sit Sergius noster ac Sergius ille interpres, Chosroi charissimus, qui regum Persarum seriem et gesta in linguam græcam precante Agathia convertit, Assemanus definire non audet[3]. Sed quum utriusque locus, ætas, studia conveniant, res mihi vero

[1] His titulis decoratur in codicibus Musei Britannici, de quibus mox dicetur.

[2] Apud Assem., t. II, p. 323.

[3] *Bibl. orient.*, t. III, part. I, p. 87, not.

simillima videtur[1]. Quoquo modo lis ea resolvatur, certum est Sergium Resainensem apud Syros interpretum palmam tulisse, famamque nactum esse percelebrem. « Inter præstantissimos medicos Syrorum, ait Barhebræus[2], fuit Sergius Resainensis, qui *primus*[3] libros philosophicos et medicos e lingua græca in syriacam convertit. » Narrat præterea Barhebræus, quum Honeinus filius Isaaci e Græcia ad Gabrielem filium Bochtjesu rediret, Gabrielem explorata juvenis doctrina, exclamasse : « Si huic juveni Deus vitam longam esse voluerit, oblitterabit memoriam Sergii Resainensis[4]! » quasi nihil majus dici aut fingi posset.

Quæ quum ita sint, satis mirari nequeo opera Sergii in codicibus syriacis qui ætatem tulerunt rarissime inveniri, atque ad nostram ætatem ignota permansisse. Ea autem ipse reperi in codicibus tribus Musei Britannici, suntque hæc :

1° *Logicæ tractatus*, libris septem constans, ac Theodoro cuidam nuncupatus. Opus initio mutilum est, nec Sergii nomen præ se fert. Quum vero hic tractatus operum Sergii agmen ducat in codice

[1] Hæc sunt Agathiæ verba, quæ in Sergium nostrum mire quadrant: Ἦν γὰρ δὴ ἑρμηνέων ἄριστος ἁπάντων, καὶ οἷος ὑπ' αὐτοῦ Χοσρόου θαυμάζεσθαι, ὡς ἐν ἑκατέρᾳ πολιτείᾳ τὰ πρωτεῖα λαχὼν τῆς ἐπιστήμης. *Vita Justiniani*, lib. IV, p. 161. Paris. 1660.

[2] *Chronicon syriacum* (edit. Bruns, Lipsiæ, 1788), p. 59.

[3] Errat Barhebræus, dum primas credit versiones philosophorum græcorum a Sergio fuisse confectas. Sed supra jam ostendi laborem scholæ priscæ edessenæ tenuem famam habuisse brevique e memoria hominum periisse.

[4] *Chron. syr.*, p. 173. — Eadem fere repetit arabice in *Historia Dynastiarum*, p. 94 et 172 (edit. Pococke).

Britannico, atque Theodoro ceteri fere omnes libri Sergii missi sint, hunc itidem ad Sergium nihil dubitans refero. Nostrum sane tractatum Ebedjesu in mente habebat, quum diceret, in suo catalogo, Sergium composuisse *Commentarium in dialecticam*[1]. Continetur codice 14658, sæculo VI vel VII, ut videtur, exarato.

2° Liber *De causis universi juxta mentem Aristotelis, quo demonstratur universum circulum efficere.* Ad Theodorum missus est, eodemque codice continetur.

3° Versio libri Περὶ κόσμου πρὸς Ἀλέξανδρον, sub hoc titulo : *Epistola Aristotelis ad Alexandrum, de elementis.* Præmissa est epistola et nuncupatio ad Theodorum. Eodem codice.

4° Opusculum *De genere, specie et individuo,* capiti secundo Isagoges porphyrianæ respondens. Eodem codice.

5° *Scholion docens quid sit* σχῆμα. Codice 14660, sæculi IX vel X.

6° Opusculum, Theodoro nuncupatum, *De judiciis quæ sumunt astrologi ex lunæ stellarumque motibus.* E primis lineis apparet hoc opus epitomen esse libri tertii Galeni Περὶ κρισίμων ἡμερῶν. Sic enim incipit : « Postquam exposuimus librum tertium et ultimum operis *De diebus criticis,* o frater noster Theodore, quoniam vidisti difficultatem doctrinæ quam auctor exposuit in hoc libro, rogasti me ut scriberem tibi de theoria quam in hac materia Galenus profitetur quam brevissimam potero epitomen, ex qua quisque legendo utilitatem percipere

[1] Assem., t. III, pars I, p. 87.

possit. » Ad calcem opusculi exstat appendix de solis incessu. (Cod. 14658.)

7° Denique codex 14661, sæculo VI vel VII exaratus, continet versionem librorum VI, VII et VIII *Medicamentorum simplicium* Galeni, a nostro Sergio confectam, atque Theodoro epistola præfixa dicatam.

His operibus, quorum nulla usquam mentio reperiebatur, addi possunt ex Abulfaragio seu Barhebræo libri duo quos subjunxit Sergius magno Syntagmati medico triginta libris constanti, quod composuit Aaron, Alexandrinus medicus [1], quodque syriacum fecit Gosius Alexandrinus [2]. Wenrichius suspicatur Hippocratem quoque a Sergio translatum esse [3]; sed id gratuito suspicatur : videtur autem Sergius in Galeno substitisse.

Denique Sergio tribuenda esse credo opuscula et translationes quæ sequuntur, atque in codice Musei Britannici 14658 reperiuntur anonyma quidem, sed ipsius operibus permixta.

1° Translatio Isagoges Porphyrii ad Chrysaorium, hocce titulo : *Opus factum a quodam philosopho, græce dictum* Εἰσαγωγή, *quod syriace redditur Introductio ad doctrinam.* Subsequitur fragmentum de divisione substantiæ, quod *Tabula Porphyrii* vulgo dicitur. Incipit : « Substantia dividitur in corpus et non-corpus. Corpus dividitur in animatum et inanimatum, etc. »

2° Translatio *Categoriarum* Aristotelis. Ambæ versiones istæ differunt ab iis quæ ab Athanasio et

[1] *Dynast.*, p. 99 (edit. Pococke).
[2] *Chron. syr.*, p. 59 (edit. Bruns).
[3] *De auct. græc. vers.*, p. 95.

Jacobo Edesseno postea scriptæ sunt, ac de quibus infra dicetur.

3° Tractatus *De nomine et verbo*, parti priori libri Περὶ Ἑρμηνείας respondens.

4° Tractatus *De affirmatione et negatione*, parti alteri ejusdem libri respondens.

5° Opus cui titulus : *Liber Aristotelis de anima*, quod tituli promissa mentiens, omnino diversum est a tractatu Περὶ ψυχῆς Aristotelis. In quinque quæstiones dividitur : 1° An sit anima ; 2° an anima sit οὐσία ; 3° an illud, quod non est corpus, sit anima ; 4° an sit anima simplex ; 5° an sit anima intelligibilis. Hic autem liber sic incipit : « Omne quod est, aut per sensus cognoscitur, aut per rationem attingitur. Quod cadit sub sensus, perfectam præbet sui ipsius cognitionem. Ubi enim res quælibet sensibus pervia, cadit sub unum ex sensibus, hujus rei natura cognoscitur. Contra res quæ mente attingitur, non cognoscitur nisi per actus suos. Anima ergo, obscura in natura sua, operatione sua cognoscitur. » An ista sint e græco translata, an a syro homine conscripta in medio relinquo ; sed quantum sensibus tota illa doctrina contineatur, cuilibet legenti patebit.

6° Fragmenta quinque brevia περὶ οὐσίας, et de nomine generali, Isagogæ et libro Περὶ Ἑρμηνείας respondentia.

Vides quanto fervore Sergius noster insudaverit tum vertendis auctoribus græcis, tum libris componendis logici medicique argumenti. Ipsius quidem versiones gravi censura prosequitur Ibn Abi Oceibia : hæc enim ille : « Transtulit libros multos, sed mediocris fuit in transferendo. Emen-

davit Honeinus ejus translationes, et quidquid ex Honeini emendatione habetur egregium est, contra mediocre quidquid emendatione destitutum est[1]. » Sed hoc judicium plus æquo asperum mihi videtur, versionesque Sergii, utpote propioris temporibus quo linguæ græcæ studium adhuc vigebat, magni æstimandæ eæque mihi videntur quæ possint criticis opem non contemnendam ferre.

Discipulum ejus neminem novimus, nisi Theodorum dictum Maru, Mervæ in Khorasana regione metropolitam, qui vixit circa annum 540, composuitque, teste Ebedjesu[2], *Solutiones decem quæstionum Sergii*. Hic absque dubio ille est cui Sergius fere omnes libros suos dedicavit. Ex titulo hujus operis colligitur utrique morem fuisse sibi invicem mittendi problemata philosophiæ. Etenim Sergius fere omnes suos libros exordiendo declarat se hæc non scribere nisi interrogante ac quæstionem proponente Theodoro.

V.

De schola Kinnesrinensi seu Chalcidensi.

Sæculo VII, cœnobium Kinnesrinense necnon sedes episcopalis hujus urbis plures viros peripatetice doctos habuerunt, inter quos ætate primum locum tenet Severus Sabochtes seu Jesubochtes, episcopus kinnesrinensis, qui circa annum 640 vivebat. Barhebræus in *Chronici syriaci* parte inedita, laudat Severum nostrum ob *philosophica, mathe-*

[1] Wenrich, op. laud., p. 32.

[2] Assem., t. III, pars 1, p. 147.

matica et ecclesiastica studia[1]. Paucissima tamen ejus doctrinæ documenta supererant, antequam in codice 14660 Musei Britannici, duo opuscula ipsius nomine inscripta reperirem : 1° *Tractatum compendiarium de syllogismo, secundum Analytica priora Aristotelis ; 2° Epistolam seu Scholion de vocibus quibusdam difficilioribus quæ sunt in libro* περὶ Ἑρμηνείας, *ad episcopum Aitallaham*. Brevissima ac satis jejuna opuscula, quæ tamen hujus temporis et sectæ in exponendo Aristotele diligentiam comprobant.

Severi discipulus fuit in cœnobio kinnesrinensi Athanasius Baladensis, linguæ græcæ peritissimus, dictusque ob translationes ab ipso confectas *librorum interpres*[2]. Hic anno 645 e græco vertit Isagogen Porphyrii, quæ habetur in codicibus sequentibus : Vaticano, 158[3]; Mediceis, 183-184 et 196[4]; Parisiensi, 161. In fine libri legitur hæc subscriptio : « Absoluta est Isagoge Porphyrii philosophi, quam e græco in syriacum accurate, prout licuit, convertit castus frater[5] Athanasius, ex monasterio sancto Beth-Malco, mense Conun altero anni 956 » (æræ Seleucidarum). Parisiensis et Medicei codices e Vaticano profluxisse videntur ; etenim Romæ

[1] Assem., t. II, p. 335 et t. III, pars I, p. 195, not.

[2] Assem., t. I, p. 493-94 ; t. II, p. 335. — Wenrich, op. cit. p. 280.

[3] Assem., *Catal. codd. bibl. apost. vatic.*, t. III, p. 305.

[4] Evod. Assem. *Catal. codd. orient. bibl. med. laurent.*, p. 327 et 337. Errore gravi, Evodius Assemanus scribit in his codicibus haberi versionem Honeini.

[5] Id est monachus.

exarati sunt, nosterque manu docti Abrahami Ecchellensis scriptus est.

Huic translationi in codice Vaticano præmissa est præfatio, docens *quam ob causam et ubi Isagoge illa ad Chrysaorium conscripta fuerit*. Ita respondet fragmentum illud iis quæ de hac re disseruit Ammonius in præfatione commentarii sui in Isagogen, ut non dubium sit auctorem syrum, qui ab Athanasio alius non esse videtur, sua inde deprompsisse[1]. Pauca tamen addita sunt, quæ nec Ammonius nec alius scriptor quem sciam protulit, verbi gratia, adversus Porphyrium Gregorium Thaumaturgum scripsisse. Præfatio hæc deest in codice Parisiensi, qui initio mutilus est; an habeatur in codicibus Mediceis parum memini.

In codice 14660 Musei Britannici, habetur opus aliud ab Athanasio translatum, hoc titulo : *Isagoge compendiaria de* πραγματείᾳ *logica et syllogistica Aristotelis, quæ translata fuit e græco in syriacum per castum fratrem Athanasium, e monasterio Beth-Malco*. Hæc Isagoge prorsus diversa est ab illa porphyriana ad Chrysaorium. Hæc enim de qua loquimur dialecticam totam complectitur, Topicis ac Sophisticis Elenchis in breve spatium redactis; atque ibi Plato laudatur. Exordium hujusmodi est : « Quum πραγματεία logica obscura sit apud Aristotelem propter difficultatem sermonis ejus, operæ pretium duxi compendiarium et simplicem tractatum scientiæ syllogisticæ scribere tibi, ut per viam

[1] Assem. *Catal codd. bibl. vat.*, t. III, p. 304-305. — Wenrich, p. 285-86. — Fabricius, *Bibl. græca*, t. IV, p. 248. — Eadem fere leguntur in Abulfaragii *Dyn.*, p. 84 (edit. Pococke).

faciliorem atque apertiorem incedere possis. » Probabili conjectura crederes eamdem esse Isagogen hanc nostram atque illam Porphyrii *Introductionem ad syllogismos categoricos*, quam Abulfaragius ait Syris notam fuisse[1], de qua tamen mentionem nullam apud Fabricium Harlesiumque reperio.

Athanasius postea fuit Jacobitarum patriarcha, hujus nominis secundus. Anno 684, ordinatus fuit in synodo Resainensi, obiitque anno 687, ut narrat Barhebræus[2]; unde colligitur eum juvenili ætate in monasterio Beth-Malco scribendis versionibus insudasse. Dionysius autem Telmaharensis opinatur eum consecratum fuisse a. 688, mortuumque a. 704[3]. Sed difficile est tam longævum admittere. Alio loco[4], Assemanus, confusis iis quæ ad ipsum et ad Athanasium III patriarcham pertinent, asserit nostrum anno 728 vixisse.

Athanasii discipulus fuit Georgius, episcopus *gentium* seu Arabum, qui et ipse Aristotelis studiosissimus fuit. Legitur enim apud Barhebræum[5], Athanasium patriarcham, quum jam ex hac luce migraturus esset, præcepisse ut Georgius episcopus *gentium* crearetur, qui, duobus post ejus mortem mensibus, anno 687 ordinatus est. Auctor alius tamen, Assemano jure suspectus, censet eum con-

[1] *Dyn.*, p. 84. Pocockius perperam vertit *syllogismos topicos*.

[2] Assem. *Bibl. orient.*, t. II, 335. — *Catal. codd. bibl. vat.*, t. III, p. 306.

[3] Assem., *Bibl. orient.*, t. I, p. 493-94; t. II, p. 105.

[4] Ibid., t. II, p. 75, 78.

[5] Ibid., t. II, p. 335.

secratum fuisse anno 647[1]. Aliis dicitur *episcopus Arabum Taiorum*, vel *episcopus populorum islamitarum*[2], id est christianorum qui inter Arabas ante Muhammedem degebant, nec statim, ut credibile est, post victoriam Moslemorum esse desierunt. Opera quædam Georgii memorat Assemanus[3], inter quæ illud præ cæteris desiderandum est quo cum Arabibus disputabat de præstantia ipsorum poeseos, et Arabi cuidam contendenti nullius gentis poetas arabicis posse comparari Georgius Syros suos ut longe excellentiores opponebat; in quo quidem vix crediderim fore ut ei suffragarer. Inter hæc opera ne unum quidem est quod philosophiam spectet, Georgiumque peripateticum fuisse nemo sciret, nisi insigne monumentum ejus solertiæ logicæ servavisset Musei Britannici codex 14659, sæculo VII exaratus. Ibi enim continentur *Categoriæ*, liber *Interpretationis*, liber uterque *Analyticorum priorum*, præmisso unicuique libro procemio amplissimo, subjunctoque commentario, quæ Georgii nomen ferunt. Codex initio et fine mutilus est; unde conjicere licet Georgium simili modo ceteras partes *Organi*, aut saltem *Isagogen* pertractasse. Inter Syrorum commentarios nullum invenio qui huic æquiparari possit, si molem operis spectes atque accuratam exponendi rationem; nullusque præferendus erit, si quamlibet

[1] Assem. *Bibl. orient.*, t. I, p. 469.

[2] Ibid., t. I, p. 167 et 494-95. In codice Musei Britannici de quo mox dicam, vocatur etiam *Georgius Jacobita*.

[3] Addendus his foret sermo de S. Chrismate, quem ipsius nomine inscriptum reperi inter schedas Renaudotianas quas possidet Bibliotheca nostra Maxima.

partem philosophiæ Syrorum prelo committendam viri docti unquam censuerint.

Aristoteli etiam operam dedit vir in syriacis litteris fama et doctrina nulli secundus, Jacobus Edessenus, qui episcopus factus anno 651, interiit (ut aiunt, quanquam vix credi potest) anno 710. Educatus in monasterio Aphthonii kinnesrinensi, qui eo sæculo inter Syros litterarum fomitem servabat, græca lingua doctissimus factus est, vocatusque ob navatam assidue in transferendis scriptis Græcorum operam *librorum interpres*[1]. Transtulit enim libros plures theologicos Græcorum, multumque laboravit ut linguam Syrorum suæ puritati redderet, punctaque vocalium et orthographiam legibus certis subjiceret. « In monasterium secedens ab episcopatu, ait Barhebræus[2], per undecim annos Psalmorum et Scripturarum græcam lectionem docuit, græcique sermonis usum fere jam abolitum instauravit. Quam ob causam a Fratribus in Græcos vehementer concitatis vexatus, ad aliud monasterium transivit, ubi eadem docuit. »

Ex operibus philosophicis Jacobi Edesseni nihil superest nisi translatio *Categoriarum* Aristotelis, quæ jungi solet translationi *Isagoges* porphyrianæ ab Athanasio confectæ, et invenitur in codicibus Vaticano 158, Mediceo 196, Parisiensi 161[3]. Assemanus, in *Bibliotheca orientali*[4], censet Jacobum

[1] Assem., t. II, p. 336.

[2] Apud Assem., t. II, p. 337.

[3] Errat Evodius Assemanus dum auctorem hujus translationis ponit Honeinum (*Catal. codd. bibl. laurent.* p. 337).

[4] T. I, p. 493. — Cf. Wenrich, op. cit. p. 127.

transtulisse quoque librum *Interpretationis*, *Analytica* et *Vitam* brevem Aristotelis quæ eodem codice Vaticano reperiuntur; sed absque ratione, quandoquidem nomen Jacobi non legitur nisi post *Categorias*, ut ipse Assemanus melius vidit in catalogo quem confecit codicum Vaticanorum [1]. Præterea, idem Assemanus primo contenderat Jacobum auctorem fuisse commentarii in *Isagogen*, qui in eodem codice reperitur. At pari modo sese emendavit in catalogo, ubi scribit hunc commentarium esse Ammonii vel Philoponi. Denique, nostro Jacobo tribuit Wenrichius [2] versionem *Summæ philosophiæ peripateticæ* Nicolai, quod quo quidem auctore dicat neque ipse aperit, neque ego inveni.

Habemus igitur apud Syros Jacobitas sæculis VI et VII, seriem virorum quorum scripta peripatetica possidemus, Sergium Resainensem, Severum Kinnesrinensem, Athanasium Baladensem, Georgium episcopum Arabiæ, Jacobum Edessenum. Studia vero hujus sectæ imminuta ac fere abolita fuisse Moslemis rerum potientibus inde colligitur, quod a sæculo VIII vix ullum Jacobitam reperiamus qui Aristoteli deinceps curam impendat. Reviviscent quidem hæc studia sæculo XIII, sed ipsis Arabibus tunc facem ferentibus studiique rationem monstrantibus. Anno tamen 830, adhuc reperio Antonium rhetorem, monachum Tagritensem, qui conscripsit *Rhetoricam Philoponi*. Hæc Barhebræus [3], qui alio loco librum Antonii numerat inter eos qui alumnorum

[1] T. III, p. 306-307.

[2] *De auct. græc. vers.*, p. 7 et 11.

[3] Apud Assem., t. II, p. 345-46.

manibus teruntur[1]. At quale fuerit opus illud conjicere non ausim.

VI.

De studiis peripateticis apud Nestorianos sæculis vi, vii, viii.

Ad Nestorianos revertamur, qui, quum primi, ut jam diximus, Aristoteli auctoritatem docendo et scribendo asseruissent apud Syros, hæc studia sæculis subsequentibus non deseruerunt, quamvis pauciora supersint eorum diligentiæ monumenta. Sæculo vi ineunte, floret Abrahamus Cascarensis, qui vitæ monasticæ apud Nestorianos quasi conditor dici potuit, monasteriumque constituit in monte Izala, prope Nisibin. De quo hæc Ebedjesu :

> Abbas Cascarensis edidit
> Expositionem cum epistolis,
> Et commentarium in dialecticam
> Universam Aristotelis[2].

Ananjesu, dictus Haghiro seu Claudus, Nestorianorum ordinatus patriarcha anno 685, mortuusque post multas ærumnas toleratas anno 699 in monasterio Jonæ apud Nisibin, eadem studia coluit. Inter opera ejus memorat Ebedjesu *Expositionem Analyticorum*[3].

Marabas Cascarensis, patriarcha Nestorianorum factus anno 742, mortuusque anno 752, annos natus 110, item logicus fuit. De quo Ebedjesu :

[1] Apud Assem., t. III, pars II, p. cmxxxviii.

[2] Assem., *Bibl. orient.*, t. III, pars I, p. 154-155.

[3] Ibid., t. III, pars I, p. 154.

Aba filius Berich Sebjaneh
Composuit librum de strategia,
Et expositiones et commentarios
Varia refertos eruditione[1].

Fatendum Aristotelem ibi aperte non designari. Sed Barhebræus expresse Marabam laudat ut theologiæ et dialecticæ peritissimum. Rursus Amrus ait : « Edoctus est in schola Modainæ (Seleuciæ), exposuitque theologum et quosdam libros dialecticæ, et confecit interpretationes[2]. »

Inter patriarchas Nestorianorum peripatetice doctos, numerare nos jubet Assemanus Surinum Seleuciensem, qui patriarchatum malis artibus occupavit anno 754, dein exauctoratus, Bassoræ episcopus factus est. Hæc Ebedjesu :

Surinus commentator scripsit
Solutionem opinionis hæreticorum,
Græci sermonis structura,
Et demonstrationes et quæstiones[3].

Nihil in his verbis indicat Surinum transtulisse aut exposuisse Aristotelem. Assemanus autem rem probare nititur adhibito loco quodam Mohammedis Ibn Ishaki, auctoris libri cui titulus *Kitâb-el-Fihrist*, qui de Metaphysica agens, ait : *Exposuit Syrianus librum Beta, versusque est arabice, vidique hanc expositionem scriptam manu Jahya ben Adi, in catalogo librorum ipsius*. Sic legerat Hottingerus[4], quem Assemanus reprehendit, idemque legi

[1] Assem., t. III, pars I, p. 157-158.
[2] Ibid., p. 157.
[3] Ibid., p. 168-169.
[4] *Bibl. orient.*, p. 240-41.

vult *Surinum*, absque ulla ratione, mea quidem sententia, imo contra omnem rationem. Etenim 1° codex noster libri *Kitâb-el-Fihrist* (suppl. ar. 1400[2], fol. 90) habet, ut Hottingerus legerat, *Surianos*. 2° Mentio quæ injicitur celebris interpretis Jahjæ ben Adi certo certius indicat hic agi de Syriani commentario in librum β' *Metaphysicorum*. Quomodo autem translator ille, qui sæculo x vivebat, græcisque auctoribus transferendis unice operam dedit, chaldæi et obscuri hominis scripta vertenda suscepisset? Ceterum Mohammedis Ibn Ishak verba Djemaleddinus exscripsit, unde Wenrichius ea sumpsit, atque ad Syrianum probe retulit[1].

Præter patriarchas nestorianos, qui pæne omnes aristotelicam disciplinam sectabantur, multos alios doctos viros in hac secta reperimus, inter quos quemdam Denha, qui circa annum 740 vivebat, et cui catalogus Ebedjesu inter alia opera adscribit

> Commentarium in dialecticam
> Aristotelis magni[2].

Codex unde Assemanus descripsit catalogum Ebedjesu exhibebat *Hibam* pro Denha. At multo probabilior est lectio quam secutus erat Ecchellensis, in editione priori catalogi Ebedjesuani. Wenrichius hunc unum et eumdem putat cum Iba Edesseno[3]. Nominantur etiam in catalogo Ebedjesu : Jesudenah, episcopus Kosræ, qui post annum 700 vivebat, scripsitque *logicas exposi-*

[1] *De auct. græc. vers.*, p. 287.
[2] Assem., t. III, pars I, p. 175-176.
[3] *De auct. græc. vers.*, p. 20.

tiones[1], et Jesubocht, metropolita Persidis circa annum 800, qui librum scripsit *De Universo* et *De signis aeris*[2].

Vides quanta industria a Nestorianis excultus fuerit Aristoteles, sæculis VII et VIII. Mirabuntur fortasse nonnulli ex tanto labore nihil ad nos pervenisse, dum Jacobitarum opera paucis quidem, certis tamen codicibus reperiuntur. Secta vero Nestorianorum, quæ remotiorem Orientis partem occupabat, minus nota est, nec forsan omnes suas divitias nobis aperuit. Præterea, si fructum diligentiæ nestorianæ spectes, hunc reperies multo majorem fuisse quam Jacobitarum. Etenim a Nestorianis, ut mox ostendetur, originem ducit tota Arabum philosophia; dumque Jacobitæ animum plane desponderent sub imperio Moslemorum, Nestoriani magistri fiebant suorum domitorum, illamque seriem studiorum aperiebant quæ in historia ingenii humani enarranda tantum locum sibi vindicat. Atque ita factum ut Nestorianorum opera aristotelica syriace scripta, quum præ arabicis vilescerent, fere tota perierint.

VII.

De indole studiorum peripateticorum apud Syros.

Ex his quæ supra dixi satis apparet philosophiam Syrorum totam in Aristotele substitisse, ipsos vero ex Aristotelis encyclio-pædia solum Organon per-

[1] Assem., t. III, pars I, p. 195-196 et not.
[2] Ibid., p. 194-195 et not.

tractasse, imo illi toti Organo tractando impares, primas paginas logici syntagmatis non supergressos. Isagoge, Categoriæ, liber Περὶ Ἑρμηνείας mille modis vertuntur, exponuntur, retractantur. Analytica priora rarius apud Syros occurrunt, ac fere semper in epitomen redacta. Analytica posteriora seu Apodictica nullis in membranis veteribus inveni, quamvis de iis auctores Syri non raro mentionem faciant. Topica et Sophistici Elenchi paucis paginis comprehendi solent. Sic Sergius Resainensis, qui tanta assiduitate primis Organi libellis insudavit, de Analyticis, Topicis et Sophisticis Elenchis prorsus tacet. Sic Georgius, Arabum episcopus, post Analytica priora calamum ponit. Sic in codicibus Vaticano 158, Mediceo 196, Parisiensi 161, qui nobis quodammodo Organon a Syris tritum exhibent, Isagoge, Categoriæ, liber Περὶ Ἑρμηνείας fuse explicantur; ex Analyticis nihil invenio præter capita septem quæ aperiunt librum priorem Analyticorum priorum : ex aliis partibus Organi ne ullus quidem versus. Librarios et commentatores patientia medio in opere deficiebat; simul, quæ erat ipsorum mediocritas ingenii, argumentis facilioribus applicabant animum, omissis iis quæ non ita liquido intelligerentur.

Contra mirum dictu quantum syri homines in Isagoge, Categoriis, libro Περὶ Ἑρμηνείας illustrandis sibi placuerint. Eorum rationis exemplum præbent codex noster 161, et hujus plane similes, Mediceus 196 et Vaticanus 158. Nempe, post completam Isagogen (fol. 7), sequuntur per octo fere pagellas farrago rerum dialecticarum, tabulæque synopticæ, figuris ostendentes totam rationem logicæ

aristotelicæ. Aristoteles ipse aliquando usus est his schematibus divisionum, verbi gratia in libro Περὶ Ἑρμηνείας, cap. XIII, § 1; et loci plures ipsius operum figuras adjunctas requirere videntur[1]. Syri his schematibus non minus delectabantur, totamque philosophiam his divisionibus atque enumerationibus dispescebant. Præterea textui libri Περὶ Ἑρμηνείας (fol. 27), glossæ et expositiones plurimæ insertæ sunt lineis miniatis inclusæ. Denique, post Analytica (fol. 49), reperitur in eodem codice commentarius in Isagogen Porphyrii, quem Assemanus Ammonio vel Philopono tribuit[2]. Incipit in hunc modum : « Septem capita quærenda sunt initio libri cujuslibet, scopus, utilitas, ordo, causa scribendi, divisio capitum, cujus auctoris sit liber, de quo agat. Scopus hujus libri est ut edisserat de vocibus philosophicis.... » Quanquam autem multi sunt commentarii peripatetici tum in Isagogen tum in Categorias, qui his fere verbis incipiunt[3], nullum reperi sive Ammonii, sive Philoponi, sive alius cujusvis peripatetici qui cum nostro unus idemque sit : sed adeo confusa est hæc mate-

[1] Cf. Barthélemy Saint-Hilaire, *Logique d'Aristote*, t. II, p. 7, not.

[2] *Catal. codd. bibl. vat.*, t. III, p. 307.

[3] Verbi gratia, David Armenus in *Isagogen* (inter Brandisii scholia in Aristotelem, ad calcem editionis Bekkerianæ, p. 16), Anonymus qui apud Brandisium est, p. 30, in *Categorias*, et Anonymus qui est ibidem, p. 93, in librum Περὶ Ἑρμηνείας. Lege modo : Ἓξ κεφάλαια προληπτέον παντὸς ἀριστοτελικοῦ βιβλίου, σκόπον, χρήσιμον, τάξιν, ἐπιγραφήν, συγγραφέα, διασκευὴν ἤτοι οἰκονομίαν τοῦ λόγου, ἣν καὶ διδασκαλικόν φαμεν τρόπον. Ibid., p. 30.

ries[1], ut certi quidquam definire non ausim. Post illum vero commentarium, qui fere 28 paginis constat, fragmentum alterum sequitur (fol. 63), quod inscriptum est : *Commentarius Introductionis Porphyrii philosophi, factus ab homine amanti laboris*[2], Quis hic Φιλόπονον non videt? Sic incipit : « Quæ ergo docet nos hic tractatus sunt hæc : quis sit qui scripsit hanc Isagogen, ad quem scripserit eam.... » Paulo post (fol. 65) subit fragmentum alterum *ejusdem auctoris*, ut fert titulus, itemque ad *Isagogen* pertinens.

Eodem codice (fol. 11) legitur Vita brevis Aristotelis quam ex Ammonio desumptam scribit Assemanus ; non is quidem recte. Etenim, quamvis vita illa, quæ pagellam unam non implet, multa habeat communia cum Ammoniana, non illi similior dici potest quam cuivis alii harum Vitarum Aristotelis quæ apud veteres circumferebantur. Abulfaragius[3] ea quæ de Aristotele narrat ex eodem fonte videtur hausisse.

Cetera opera Aristotelis quod spectat, vix ipsorum titulos Syri norunt, aut quæ sub his titulis circumferunt opuscula, ὑποβολιμαῖα sunt. E syriaco versum hic apponere censui scholion quod in codicibus Vaticano 158 (fol. 26), Mediceo 196, Parisiensi 161 (fol. 10) legitur, exhibetque nobis ca-

[1] V. Fabricii *Bibl. gr.* (edit. Harles), t. V, p. 705, 758 ; t. X, p. 645.

[2] Assemanus (*Bibl. orient.*, t. III, part. II, p. CXXIII, lin. 5), hunc loquendi modum *rahmai amlo* per *pietate insignes* interpretatur. Michaelis autem, p. 656 Lexici syriaci, recte, ut opinor, vult reddi φιλόπονον.

[3] *Dyn.*, p. 59-60 (edit. Pococke).

nonem peripateticum qualis apud Syros receptus erat.

« *De causis propter quas scripsit Aristoteles opera sua*. Quinque sunt res, id est causæ, de quibus scripsit Aristoteles totum opus suum logicum : 1° de veritate evidenti; 2° de veritate obscura; 3° de falsitate obscura; 4° de falsitate evidenti; 5° de re quæ potest esse et non esse. Exemplum veritatis manifestæ unicuique homini est quando quis dicit : Splendet sol. Exemplum veritatis obscuræ, quæ non cuilibet statim apparet, est quando dicitur : Lumen lunæ a sole provenit. Exemplum mendacii evidentis est : Sol non tantum lucet quantum luna. Exemplum mendacii cujus falsitas non statim apparet, est : Sol non est tantus quanta terra. Res possibilis est, verbi gratia, ut quis puerum videns motibus alacrem, dicat : Hic philosophus erit; etenim forsan istud est verum, et forsan non est. Habes quinque argumenta de quibus scripsit Aristoteles. Opera vera ejus hæc sunt : liber Categoriarum, liber Περὶ Ἑρμηνείας, libri duo Analyticorum, præterea libri duo qui vocantur Apodictica, id est Analytica posteriora, et libri octo Topicorum. *Expliciunt res de quibus scripsit Aristoteles*. »

Apparet nunc, ni fallor, quam similis fuerit fortuna Aristotelis apud Syros et apud Latinos mediæ ætatis. Syris quos hactenus examini subjecimus Aristoteles *logicus* est, cetera ipsius opera plane ignota sunt. Unde fit ut philosophia Syrorum nobis similitudinem referat hujus scholasticæ prioris ætatis, Alcuini aut Abælardi, antequam Aristoteles totus e græcis arabicisque fontibus nostris

hominibus innotuisset. Contra mox ostendemus philosophiam Barhebræi aliorumque Syrorum serioris ætatis, qui Arabum studia imitantur, imaginem nobis exhibere posterioris illius scholasticæ Albertinæ, Thomisticæ, cui totus Aristoteles manibus teritur. Aristotelis opera cuncta Orientalibus non innotuerunt nisi ope versionum quæ IX sæculo factæ sunt, ut Occidentalibus rursus per versiones sæculo XII confectas. Idque etiam animadvertendum Syros plerumque libris ipsis Aristotelis anteposuisse tractatus ad ipsius mentem compositos, simillimosque dialecticis Boethii, Cassiodori, et Categoriis pseudo-Augustinianis, quæ tanto favore apud Latinos ad XII usque sæculum celebrabantur. Imo hos tractatus nomine Aristotelis decorare non verebantur, ut scholastici sæpenumero fecerunt, quando paraphrases ex arabico translatæ, quæ Aristotelis sententiam tantum referebant, primum vulgatæ sunt. Farragines hæ dialecticæ in codicibus syriacis sæpius occurrunt : provocare sufficiat ad codices Vaticanum 217[1], Mediceum 62[2], Parisiensem 164. Eodem pertinent rudimenta dialecticæ quæ in grammaticis syriacis leguntur, fereque ex libro Περὶ Ἑρμηνείας excerpta sunt, necnon lexica illa, quorum præcipuum est Lexicon Josuæ Bar Ali, vocum philosophicarum ex græco idiomate sumptarum interpretationem exhibentia[3].

Qui commentatores græci peripatetici hac ætate vetustiori philosophiæ syriacæ vulgati fuerint

[1] Assem., *Catal. codd. bibl. vat.*, t. III, p. 504.
[2] Evod. Assem., *Catal. codd. bibl. med. laurent.*, p. 107.
[3] Cf. codicem nostrum 142, horum glossariorum exemplum eximium præbentem.

quamvis certo definiri non possit, tamen non videntur Syri ullos præter Nicolaum Damascenum, Porphyrium, Ammonium ac Philoponum, manibus tractasse. Porphyrius vero apud eos celeberrimus fuit, tum propter *Isagogen ad Chrysaorium*, qua nihil apud eos frequentius, et quæ, ut ait Abulfaragius[1], « pro exordio Aristotelis recepta est, et cursum solis æquavit usque in hunc diem; » tum propter libros ejusdem alios quos memorat Abulfaragius ut syriace exstantes, et quorum tituli sic ab eo referuntur: 1° Historia philosophorum, sine dubio libri quatuor Φιλοσόφου ἱστορίας deperditi[2]; 2° liber Elementorum, forte liber Περὶ Ἀρχῶν, deperditus[3]; 3° libri duo, inscripti ad Libanium, item Djemaleddino et Mohammedi Ibn Ishak memorati, vitiose quidem, ut demonstravit Wenrichius contra Casirium[4]. Etenim certissime legi debet ad *Anebonem*, habemusque hic syriace et arabice Ἐπιστολὴν πρὸς Ἀνεβῶ τὸν Αἰγύπτιον, qua Jamblichus hieratico nomine designatur, cujusque fragmentum arabice refert Schahristanius[5]; denique 4° liber Responsionis ad *Lemachium* de intellectu et intelligibili, novem tractatibus constans. Hæc Barhebræus: sed quis ille Lemachius? Wenrichius, qui idem opus memorat ex Djemaleddino et Mohammede Ibn Ishak[6], *Pammachium* legit, fateturque se hujus

[1] *Dyn.*, p. 84.

[2] Fabr., *Bibl. gr.* (edit. Harl.), t. V, p. 746.

[3] Ibid., p. 743.

[4] *De auct. græc. vers.*, p. 283.

[5] *Religionspartheyen und Philosophen-Schulen*, übers. von Th. Haarbrücker, IIe th. s. 208-209 (Halle, 1851).

[6] Op. laud., p. 281.

operis ne vestigium quidem usquam reperisse. Sed ego pro certo affirmaverim legendum esse *Jamblichum*, mihique suffragabuntur quicumque litterarum et punctorum diacriticorum mutationes norunt. Quo concesso, tantum non certum est his verbis designari Jamblichi seu Ἀβάμμωνος πρὸς τὴν Πορφυρίου πρὸς Ἀνεβὼ ἐπιστολὴν ἀπόκρισιν. Facillime intelligent Porphyrium hujus libri auctorem creditum fuisse, qui sciunt arabice nomen auctoris ut et ejus ad quem opus dirigitur per *lam* indicari. Præterea certum est Jamblichi nonnulla syriace et arabice versa esse, Rhazemque commentatum esse *librum Anebonis ad Porphyrium*[1].

Codice 217 Vaticano[2] continetur versio operis de quo, quamvis certa definire non possim, pauca tamen referre juvat. Inscriptum est : *Scientia de temperamento terræ ex libro Berozi, sapientis magistri;* incipitque sic : « Vide, o Theon fili mi, quæ dico tibi de temperamento terræ et de homine.... » Post duas paginas, alter titulus habetur, in hunc modum : *Rursus ex eodem libro Berozi, magistri sapientis, cujus periit magna pars initio et fine;* atque ad calcem hæc miniata leguntur : *Explicit : hæc scripsimus sicut ea invenimus, quia liber valde antiquus erat, et perierat ex eo magna pars.* Videbunt alii quibus plus erit temporis atque otii quam fuit mihi dum Vaticanos codices evolverem, cujusnam auctoris, argumenti, temporis sit ille liber.

Ad scholas non peripateticas quod attinet, Syri

[1] Op. laud., p. 293, 306.

[2] Assem., *Catal. codd. bibl. vatic.*, t. III, p. 504.

ipsas nonnisi summo digito tetigerunt. In codice 161 Parisiensi (fol. 8 v.), codicibusque Mediceis et Vaticanis qui huic similes sunt, scholion legitur, his fere verbis : « Philosophi nomen ducunt vel a magistro, ut Pythagorici a Pythagora ; vel a regione, ut Cyrenæi a Cyrene; vel a loco, ut Stoici a Stoa, et Academici ab Academia (hi sunt e domo Platonis); vel a moribus, ut Cynici, nempe canes; vel a proposito, ut ἡδονικοί[1], qui voluptatem ponunt esse summum bonum; vel ab accidente, ut Peripatetici (hi sunt e domo Aristotelis), ab ambulando vocati. Omnes hi philosophi sunt ab extra (i. e. pagani, οἱ ἔξω φιλόσοφοι). » Habes synopsim historiæ philosophicæ juxta Syrorum mentem.

Solus Plato in Syrorum opinione Aristotelem, sed longo intervallo, insequitur. Assemanus[2] testatur Platonem syriace versum fuisse. At quum vir doctus non dicat qua auctoritate fretus id scribat, nec ubi viderit hanc translationem, nec qui libri translati, nec a quo translati, in hoc illi nulla fides esto. Hæc quidem Abulfaragius : « Enumeravit Theon Alexandrinus XXXIII libros a Platone conscriptos, e quibus qui nunc exstant sunt *Phædon*, *Timæus*, liber *de Legibus*, *Respublica*[3]. » Sed hic agi videtur de versionibus arabicis non syriacis. Quæ sub nomine Platonis leguntur in membranis syriacis certe apocrypha sunt. Sic in codice Musei Britannici 14658, continentur sub ipsius nomine ænigmata, ex Ὅροις seu Definitionibus quæ ipsi

[1] Cf. Abulf., *Dyn.*, p. 50.

[2] *Bibl. orient.*, t. II, p. 315. — Wenrich, p. 117.

[3] *Dyn.*, p. 56.

obtruduntur[1], excerpta, forma tamen paulum immutata. In codice enim nostro per quæstiones proponuntur quæ apud Græcos definitionibus exprimuntur, atque ita habitum plane referunt harum Definitionum seu Interrogationum quæ veteribus infimæ ætatis tantopere placebant[2]. Sic pro illo : Θεὸς ζῶον ἀθάνατον, αὔταρκες πρὸς εὐδαιμονίαν, οὐσία ἀΐδιος, τῆς τ'ἀγαθοῦ φύσεως αἰτία, Syrus habet : « Plato dixit : Quid est animal immortale, quod abundat omnibus bonis, natura æternum, et causa omnium bonorum ? » Eodem codice leguntur *Præcepta Platonis ad discipulum suum*, quæ græce non reperiuntur, christianamque disciplinam magis quam platonicam videntur redolere. Afferantur exempli gratia primi versus : « Cur oculis tuis difficile est, ægrumque tibi videtur quod præcipiam tibi ut etiam dormiens ab oratione non desistas? — Discipulus dicit : Quomodo fiet istud ? Ecce enim quum dormio, mortuo similis sum. Quomodo ergo dormiens orem, quandoquidem tunc mortalitati meæ subjacere videor ? — Magister dicit : Animum tuum moribus bonis et honestis instrue.... » Codice Vaticano 159, item leguntur karsciunice (id est lingua arabica, sed charactere syriaco) : *Monita Platonis ad Aristotelem discipulum suum*[3], quæ sic incipiunt : « Oportet ut cognoscas Deum tuum,

[1] V. opp. t. X, edit. Bekkeri, Londini.

[2] Illas dico altercationes Epicteti et Adriani, Adriani et Secundi, Pipini et Albini scholastici, etc., quarum syllogen Fabricius compilavit (*Bibl. gr.*, t. XIII). Multa sunt etiam hujus generis apud Athenæum.

[3] Cf. Assem., *Catal. codd. bibl. vat.*, t. III, p. 314. — Wenrich, op. cit., p. 122.

atque recorderis justitiæ ejus. » Denique codice Britannico jam memorato legitur dialogus platonicus, certe apocryphus, ejusdemque farinæ atque Eryxias, Axiochus, etc., quo Socrates colloquitur cum discipulo corrupte, ut puto, nominato *Erostrophos*. Hujus operis græce vestigium nullum superest; sed credibile est illud non esse diversum a dialogo cui titulus Μίδων ἢ Ἱπποτρόφος seu Ἱπποστρόφος, qui a Diogene Laertio inter ὁμολογουμένως νοθευομένους reponitur[1], atque periisse credebatur. Rem ad liquidum deducturum alibi me promitto.

Gnomicos etiam nonnullos ac morales auctores Syri vertendos sumpserunt[2], ut ex eodem codice 14658 Musei Britannici constat. Quem quum volverem, non sine gaudio reperi : 1° Menandri

[1] *Vitæ phil.*, lib. III, cap. xxxvii (p. 82 edit. Didot).

[2] Poetarum, oratorum, aliorumque hujus generis scriptorum qui apud Græcos floruerunt, nullus videtur Syris innotuisse, adeoque diversum erat utriusque gentis judicium in rebus ad litteras pertinentibus ut affirmari possit et Pindarum, et Sophoclem, et Demosthenem, et quotquot habet Græcia celeberrimos viros ingenio, apud Syros si vulgati essent, parum favoris habituros fuisse. Unus Homerus dicitur syriace fuisse versus. Scribit nempe Abulfaragius in *Historia Dynastiarum* (idque tribus locis repetit, paginis 26, 40, 148, edit. Pocockianæ) Theophilum Edessenum, maronitam et astronomum, qui anno Christi 785 obiit, in syriacum *duos libros* (kitâbayni) *Homeri de excidio Ilii* vertisse, hujusque translationis exemplaria haberi apud Syros. Jam Syri recentiores ferunt Theophilum excogitasse vocales syriacas quæ vocalium græcarum figuram affectant, hujus versionis rectius conscribendæ gratia, nimirum ut voces ambiguæ et nomina propria legi et efferri commodius possent (Assem., *Bibl. orient.*, t. I, p. 521). De locis vero memoratis Abulfaragii in diversas partes abierunt viri docti. Toderinus (*Letteratura turchesca*, Venezia, 1787, t. I,

syllogen γνώμων μονοστίχων ἢ διστίχων, ab illis quas græce sub ipsius nomine possidemus omnino diversam; 2° aliam sententiarum syllogen PYTHAGORÆ tributam, atque ab ea quæ χρύσεα ἔπη inscripta est diversam, qua fortasse Ἱερὸς λόγος seu Περὶ Θέων, quod periisse credebatur, servatus est; 3° aliam syllogen sic inscriptam : *Consilia Atnao, philosophæ e schola Pythagoræ*. Illa vero sine dubio est celeberrima THEANO, cujus nomine varia opera sententiosa et moralia circumferebantur apud veteres : hæc autem prorsus nova sunt; 4° versionem orationis parænetica Isocratis ad Demonicum. De his fusius, sed non ut par erat, egi in *Journal*

p. 220) opinatur Theophilum transtulisse *libros duos* priores Iliadis; quæ sententia prorsus rejicienda est, multas quidem ob rationes, præcipue vero quia vox *Kitâb* qua utitur Abulfaragius, nunquam operis unius partem (cui sensui exprimendo vox *mekâla* arabice inservit), sed opus integrum designat. Villoisonius contra (*Prolegg. ad Homerum*, p. 43, not.) censet per *kitabayni* Iliadem et Odysseam designari, quæ quum nisi fando cognosceret Abulfaragius, circa excidium Trojæ versari credidit. Buhlius (in *Comm. soc. reg. Gœtting.* vol. XI, 1791, p. 220, not. c) opinatur Abulfaragium aut incertum vulgi rumorem de Homeri Iliade ejusque versione syriaca secutum esse; aut fuisse libros illos de Ilii excidio ex eorum genere qui a serioribus Græculis compilati Homero supponebantur. Ego vero, quum video Abulfaragium, hominem litteratissimum, græce et syriace scientem, librorumque maxime curiosum, eamdem rem tribus vicibus repetentem, affirmantemque exemplaria hujus versionis exstare apud Syros, Villoisonii sententiam tantum non certam pronuntio, atque idem opinor Homerum in linguam vernaculam Syrorum fuisse conversum, quamvis huic genti in deliciis primis fuisse non videatur. De fatis Homeri et poetarum græcorum apud Orientales multa dabit Günther Wahl, *Von dem Schicksal des Homer und andrer klassischen Dichter bei den Arabern und Persern* (Halle, 1793).

asiatique (fascic. april. 1852), nec mihi satisfecero, donec Londinium repetens, opuscula hæc integra exscripsero, ac doctis viris legenda præbuero.

VIII.

Syri magistri Arabum fiunt in philosophia græca.

Nunc tempus est ut ad alteram ætatem philosophiæ Syrorum transeamus, qua Moslemis permixti, studia sua peripatetica arabice persequuntur, Arabumque magistri fiunt in philosophia et doctrinis Græcorum. Quæ quidem ætas si priori comparetur, longe majoris momenti apparet, tum quia studia Syrorum nunc multo latius extenduntur, totamque peripateticam disciplinam, non solam dialecticam complectuntur; tum quia per suos discipulos Arabas Syri hucusque obscuri in magnum generis humani commercium inducuntur. Quum tamen hæc ætas ad historiam philosophiæ arabicæ magis quam syriacæ pertineat, nemo mirabitur me breviorem esse, eamque solum materiæ partem delibare quæ Syros propius tangere videtur.

Etiam ante Muhammedem Syri nestoriani medicinam apud Arabas exercebant, et exercebant soli. Nestoriani erant monachi quos Muhammedes audivit, et a quibus non pauca didicit; Nestorianus erat Hareth Ibn Calda Prophetæ amicus et medicus [1]. Regna Hiræ et Ghassani in Arabia septentrio-

[1] Abulf. *Dyn.*, p. 99 (edit. Pococke). — Cf. de Hammer, *Literaturgeschichte der Araber*, I[e] Abth. II[er] Band, s. 192 (Wien, 1851).

nali Nestorianis iisque doctis scatebant, aulæque regum medicis syris, qui plerique e schola Gandisaporensi prodibant, erant ornatæ[1]. Scribæ munus etiam christianis quasi peculium fuit, neque omittendum munera fere cuncta quæ ad ærarium publicasque rationes pertinebant tria per sæcula et amplius post hegiram apud Moslemos a christianis exerceri solita fuisse. Inde Moslemorum querelæ perpetuæ : etenim christiani scribæ quum se rebus administrandis necessarios sentirent, privilegio suo utebantur ut dominis suis quibus poterant modis molestiam inferrent[2]. Jam Omeyyadæ, qui Damasci sedem elegerunt, Syros imitari cœperunt. Sed quia hæc chalifarum domus adhuc ingenium et mores Arabum retinebat, litteræ græcæ sub ea parum proficere poterant. Nihil ingenio græco et arabico dissimilius; dumque res moslemica inter Arabas versata est, græca studia prorsus apud Moslemos jacuerunt. At ubi provinciæ victæ, ut fieri solet, victorem quasi obruere cœperunt, ac Persis capta Arabiam cepit, longe aliter res cessere. Mirum enim quantum Persæ ab ingenio Semitarum abhorreant. Tria sunt quibus carent penitus populi qui Semitæ dicuntur, nempe mythologia, epicum carmen, philosophia. Persis quamvis devicta, atque coacta recipere religionem et linguam Arabum, nunquam

[1] Cf. Caussin de Perceval, *Essai sur l'histoire des Arabes avant l'islamisme*, t. II, p. 144, 487. — Sprengel, *Hist. de la médecine*, t. II, p. 282. — Heeren, *Geschichte der class. Litteratur im Mittelalter*, lib. I, § 70 et 71.

[2] V. in *Journal asiatique* (nov.-dec. 1851), plurima documenta de conditione christianorum inter Moslemos his de quibus nunc loquimur temporibus.

natale ingenium despondit, sibique mythologiam, epopœam, philosophiam propriam effinxit. Id potissimum evenit Abbasidis rerum potientibus (anno Chr. 750). Hæc enim domus persica erat moribus atque ingenio. Mekka deinceps omnino jacet; nunc summæ res Bagdadi, Cufæ, Basræ, in Syria, Khorasana, et provinciis persicis aguntur : mores omnino immutantur. Simplicitas, innocentia, fides veterum Arabum pessum eunt; virorum liberorum majestas violatur; regnum fit a voluntate unius pendens respublica islamitica, quæ prius omni imperio carebat; nunc aula regia Bagdadi, apparatus persici, carcer, tormenta, neces, quæ omnia Arabibus antehac fuerant ignota. At simul novis studiis via aperta. Principes hi, sciendi cupiditate accensi, undique semina doctrinarum conquirunt, in India, apud Magos, Græcos, Syros. Quantum, dii boni! distamus ab illa sincera et genuina Moslemorum primævorum fide, qui nihil aliud nisi Coranum dictaque Prophetæ animo colebant, vitæ usu frequentabant! Islamitica enim religio minime hæc studia commendabat; ideoque factum ut de ὀρθοδοξία novæ hujus chalifarum propaginis male sentiretur. Almamunus, qui hujus laboris auctor præcipuus fuit, hæreticus fere habetur apud Moslemos, de salute ipsius zelotæ dubitarunt, unoque ore prædicarunt « fieri non posse quin Deus certas de Almamuno pœnas sumeret, quod doctrinis philosophiæ introductis Mohammedanorum pietatem interpellavisset[1]. » Obtrectatores ei crimini vertebant quod antiquam re-

[1] Pococke, *Specimen hist. Arab.*, p. 172. — Wenrich, *De auct. græc. vers.*, p. 27-28. — Gustav Weil, *Geschichte der Chalifen*, t. II, p. 255, sqq., 280, sqq.

ligionem Persarum seu magismum deamaret. Revera, a Barmekidis educatus qui vetera Persidis instituta sectabantur, religiones æqua lance pendere videbatur, imo non paulum inclinare ad Persarum cultum naturalem, vel saltem ad rationalismum (ut nunc dicimus) Motazelitarum.

Id ergo summopere animadvertendum, philosophiam quæ *arabica* dicitur arabici nihil in se habere. Græci sunt omnes quibus utitur auctores, Persæ sunt qui hæc studia fovent, Syri omnes interpretes; magi, sabæi, christiani omnes qui his studiis primam operam impendunt. Iram non continebant Moslemi, quum viderent viros exteros et infideles tali apud chalifam favore gaudentes, summisque rebus gerendis adhibitos. Etenim Abbasidæ, quo et Omeyyadas et eorum fautores cautius observarent, sæpe christianis ut speculatoribus utebantur; unde fiebat ut Moslemi non raro se a christianis vexatos quererentur [1]. Feruntque Almamunum a multis reprehensum quod vertendorum librorum curam christianis committeret, respondisse nullam esse rationem cur illis quibus corpus suum credebat, libros vertendos non committeret, eos præsertim qui nec ad christianam nec ad mohammedanam religionem spectarent [2]. Exemplum porro ipse Propheta dederat, qui medicum assumere infidelem Ibn Calda non veritus erat. Præcipuum in ea re negotium fuit Nestorianorum; quibus solis quum liceret archiatris esse chalifarum [3], aulæ

[1] *Journal asiat.*, l. c. p. 435, sqq.

[2] Leo Africanus, *De vitis illustr. Arabum*, apud Fabricium, t. XIII, p. 261.

[3] Assemanus longum catalogum texuit eorum qui hoc

Almansuri, Harunis Arrashidi, Almamuni, Alwathiki, Almotewakkeli refertæ erant medicis syris, qui fere omnes scriptis Græcorum vertendis operam dabant. Hinc illæ familiæ medicorum doctorum, Serapiones, Bochtjesuidæ, filii Mesue, filii Honeini qui per plures generationes domum chalifarum bagdadensium inhabitarunt, ac studiis philosophiæ græcæ promovendis inservierunt[1].

Mei propositi non est hos interpretes omnes enumerare, eorumque laborem describere, quandoquidem id jam præstiterunt Wenrichius[2] et Fluegelius[3], iique doctissime. Duas res animadvertisse sufficiat, omnes ad unum fuisse Syros et christianos, eosdem fere semper auctores græcos syriace et arabice vertisse, primo quidem syriace, dein ex

munus exercuerunt (*Bibl. orient.*, t. III, part. II, p. xcvi, sqq.) — Wenrich, p. 12.

[1] De iis copiosissimus est Abulfaragius, tum in *Chronico syriaco*, tum in arabica *Historia dynastiarum*.

[2] *De auct. græc. vers. et comment. syriacis, arab., armen. persicisque commentatio* (Lipsiæ, 1842).

[3] *Dissertatio de arabicis scriptorum græcorum interpretibus* (Misenæ, 1841). — Rem jam attigerant: Huetius, *De claris interpretibus*, p. 123-124 (Paris. 1681).— Renaudotius, *De barbaricis Aristotelis versionibus*, apud Fabricium, *Bibl. gr.*, t. III, p. 294, sqq. (edit. Harles); et in epistola ad Dacerium, apud Fabricium, *Bibl. gr.*, t. I, p. 861, sqq. (edit. prior). — Reiske, *Dissertatio de principibus muhammedanis qui aut ab eruditione aut ab amore literarum et literatorum claruerunt* (Lipsiæ, 1747). — Brucker, *Hist. crit. phil.*, t. III, p. 31, sqq. — Buhle, *Commentatio de studii græcarum litt. inter Arabes initiis et rationibus*, in *Commentt. reg. soc. Gœttingensis*, 1791, t. XI, p. 216, et Prolegg. editionis Aristotelis quam curavit, t. I, p. 315, sqq. (Biponti, 1791). — Camus, *Notices et extraits des Mss. de la Bibl. Nat.*, t. VI, p. 392.

syriaco arabice. Erunt fortasse qui mirentur hos interpretes, qui versiones arabicas conficere præcipue sibi proponebant, munus insumpsisse versionum syriacarum, nec absque ratione primum intuenti videtur Casirius[1] contendere contra Renaudotium versiones has e græco in arabicum semper fuisse factas, dum Middeldorpius[2], Jourdaniusque[3] id plerumque evenisse sentiunt. Attamen innumeris atque certis testimoniis constat eosdem interpretes syriace et arabice vertisse, quod Wenrichii et Fluegelii commentationes perlegenti, ac codices ipsos arabicos evolventi [4], quaque pagina apparebit[5]. Sed quoniam versiones syriacæ minus in usum veniebant, Syrique ipsi arabicas libentius usurpabant, factum est ut syriacæ versiones hujus ætatis omnino perierint[6].

Aristoteles primum sub Almamuno (813-833) ara-

[1] *Bibl. arab. hisp.*, t. I, p. 240.

[2] *De instit. liter. in Hisp. quæ Arabes auctores habuerunt*, p. 67-68.

[3] *Rech. sur les trad. lat. d'Arist.*, p. 86. Quid dicam de Huetio, qui, post Ludovicum Vivem (*De causis corrupt. art.* Opp., t. I, p. 410), vult versiones arabicas « non e græcis fontibus, sed ex latinis lacunis haustas! » (*De claris interpret.*, p. 126.)

[4] In codice nostro arabico 884 A, expresse notatur versiones quæ in eo continentur e syriaco esse factas.

[5] Rem jam bene viderat Buhlius (Prolegg. ad opp. Arist., t. I, p. 320 et in *Commentt. soc. reg. Gœtt.*, t. XI, p. 222-23). Sed erravit vir doctus, dum asseruit versiones arabicas quasdam etiam ex persico et coptico profectas fuisse.

[6] De fide et meritis harum versionum disputarunt Salmasius (Præf. ad Cebetis edit. ab Elichmanno adornatam), Renaudotius, Buhlius, Camusius, Wenrichius, locis jam supra laudatis.

bicus factus est. Somniumque effictum a credulis hominibus : vidisse Almamunum in somno virum aspectu venerabili, solio insidentem ; mirantem Almamunum quæsivisse, quisnam ille esset? responsum : Aristotelem esse. Quo auditu, chalifam ab eo quæsivisse, quidnam bonum esset ; respondisse Aristotelem : Quod sapientiores probarent. Quærenti chalifæ quid hoc esset : Quod lex divina probat, dixisse. Interroganti porro illi : Quid hoc? Quod omnes probarent, respondisse, neque alii ultra quæstioni respondere voluisse. Quo somnio permotum Almamunum a Græcorum imperatore veniam petiisse ut libri philosophici in ipsius regno quærerentur, hujusque rei gratia viros doctos misisse[1]. Joannes filius Mesue, medicus celeberrimus, primus dicitur Aristotelem arabice vertisse ; sed errore Leonis Africani hæc opinio fulta videtur ; primus autem Aristotelis interpres arabs fuit Joannes Ibn-al-Batrik (i. e. *filius patriarchæ*[2]). Hic syriace vertit *Historiam Animalium*, in compendium redegit libros tres *De anima*, arabiceque vertit libros *De cœlo et mundo*, *De meteoris*, et librum arabice inscriptum *Siaset*, id est *Politica,* qui legitur in codicibus Parisiensibus arabicis 944, 945; de quibus Wenrichius parum feliciter conjecturam fecit, dum putat *Politica* Aristotelis genuina his codicibus contineri; nihil enim aliud ibi est præter librum apocryphum *De regimine principum,* seu *Secretum secretorum;* neque Arabes ulla alia *Politica* Aristotelis cognoverunt [3]. Abulfaragii sententia est

[1] Wenrich, op. cit., p. 25-26.
[2] Non Πατριχίου, ut vult Fluegelius, p. 10.
[3] Wenrich, p. 129, 134, 136. — Fluegel, p. 10-11.

versiones Joannis Ibn-al-Batrik sensum auctoris optime referre, sermone autem valde ineleganti esse conscriptas[1].

Sed præcipuus auctor versionum Aristotelis arabicarum fuit Honeinus Ibn Ishak, apud Latinos Johannitius, nestorianus, qui sub Motewakkelo floruit, obiitque anno 876. Hic patre pharmacopola ortus in civitate Hira, Græciam ætate juvenili adiit, ubi duos annos commoratus, linguæ græcæ peritiam acquisivit : dein Bagdadum reversus, multa scientiæ laude floruit, princepsque interpretum factus est[2]. Vires quidem unius hominis non suffecissent ad scribendas versiones quæ ipsius nomen ferunt. Revera Honeinus præpositus fuit scholæ magnæ interpretum, quorum celeberrimi fuerunt Ishak ben Honein, filius ejus, et Hobeish-el-Asam, nepos ejus. Abulfaragius animadvertit fortunæ Honeini partem fuisse quod Hobeishi labor ipsi tributus fuerit; quum enim librarii indocti nomen Hobeishi invenirent, mendam putabant, ac scribebant Honeinum, ipsis notiorem. Hæc causa fuit cur omnia opera hujus scholæ sub Honeini nomine coaluerint[3]. Porro totum corpus scientiæ græcæ et philosophiæ aristoteleæ ex hac schola prodiit, tum syriace tum arabice versum. Vix ullum opus Aristotelis reperio quod non unus ex his

[1] *Dyn.*, p. 153-154, 163.

[2] Videndus Abulfaragius, qui de eo copiosus est, *Dyn.*, p. 171-174. — *Chron. syr.*, p. 173-174. — Cf. Brucker, *Hist. crit. phil.*, t. III, p. 28, sqq. — *Encycl.* Ersch et Gruber, art. *Honein* (auct. Fluegel).

[3] Wenrich, p. 17, 30, sqq. — Fluegel, p. 17, 18. — Assemani *Bibl. orient.*, t. II, p. 272, not.

triumviris in utramque linguam verterit. Ac præter Aristotelem, peripatetica opera : Nicolai *Summam philosophiæ peripateticæ*, quam se manibus tenuisse ait Abulfaragius[1], Alexandri Aphrodisiensis, Galeni, Porphyrii, Themistii, Ammonii commentarios in Aristotelem.

Versionum arabicarum Honeini nonnullæ supersunt; ac versio *Categoriarum* ab ipso profecta prodiit Lipsiæ, anno 1846, cura Jul. Theod. Zenker. Versionum autem syriacarum hujus scholæ nulla ætatem tulit. Errat gravissime Evodius Assemanus[2], dum scribit in codicibus syriacis Mediceis 176, 177,178,179, haberi totam *Logicam* Aristotelis ex versione Honeini; vidi codices meis oculis, agnovique, quod e primis versibus perspici poterat, hos codices continere partem priorem *Butyri sapientiæ* Barhebræi, nihil vero Aristotelis, nihil Honeini. Wenrichius[3], Evodium secutus, temere conjicit codicem syriacum Escorialiensem 652[4] eadem continere, de quo Casirius ita parce locutus est ut non videam quis sit auctor versionum quæ in eo habentur. Errore alio Evodius Assemanus, ac post eum Wenrichius asserunt codices Mediceos syriacos 183-184, et 196 continere *Categorias* Honeini, quum hi codices nostro 161 et Vaticano 158 similes, exhibeant versiones Athanasii Baladensis et Jacobi Edesseni, ut supra dictum est. Quomodo auctor catalogi florentini audeat scribere se vidisse ac legisse quæ ibi prorsus non sunt, ille solus

[1] *Dyn.*, p 88. — Cf. Assem., t. III, part. I, p. 164, not.
[2] *Catal. codd. orient. bibl. med. laurent.* p. 322-323.
[3] Op. cit., p. 128.
[4] V. Casiri *Bibl. arab. hisp.*, t. I, p. 195.

mirabitur qui nescit quanto inferior fuerit avunculo suo Josepho Simonio Assemano Evodius ille, ac quam multis et gravibus mendis scateat catalogus ille florentinus!

Quamvis diligentia Honeinidarum Aristoteles totus ac peripatetici fere omnes scriptores syriaci et arabici facti essent, sæculo x idem labor repetendus fuit. Syros pariter vidimus versiones suas per tria sæcula resarcientes atque ex integro reficientes. Idem evenit apud Latinos mediæ ætatis, idque præcipue ob paucitatem codicum fiebat. Nempe Jahja ben Adi narrat quanta cura quantisque pecuniæ impensis Alexandrum Aphrodisæum jam arabice versum emere quæsiverit, nec potuerit [1]. Res quacumque de causa evenerit, certum est duces hujus novi laboris etiam Syros et christianos exstitisse, quorum præcipui fuere Abu Baschar Mata [2] et Jahja ben Adi Tagritensis [3], ambo nestoriani, quorum alter floruit sub Radhio chalifa (934-940), alter sub Mothio (946-974). Hi duumviri totum Aristotelem denuo ex græco syriace et ex syriaco arabice verterunt, simulque Theophrastum, Alexandrum Aphrodisæum, Themistium, Syrianum, Ammonium, etc. Syriacæ ipsorum versiones omnino perierunt; arabicæ vero vulgatissimæ ferebantur, hisque usi sunt Alfarabius, Avicenna, Averroes, ceterique philosophi Arabum.

His adjungendi forent plures alii et Syri et chris-

[1] Apud Casirium, t. I, p. 243.

[2] Assem. *Bibl. orient.*, t. III, part. I, p. 517.

[3] Wenrich, p. 30 et passim. — Fluegel, p. 20, sqq. — Evod. Assem. *Catal. codd. orient. bibl. laurent. med.*, p. 115. — Abulfaragii *Dyn.*, p. 61.

tiani, Aristoteli vertendo vel exponendo intenti, (1) ut Kosta ben Luca[1], Ali ben Zaraa[2], Ibn Naema[3], etc., qui omnes e græco in syriacum vel e syriaco in arabicum (expresse rem confirmant Ibn Abi Oceibia, Djemaleddinus, Abulfaragius) verterunt Aristotelem ipsiusque commentatores. Nec nostris bibliothecis eorum versiones omnino desunt; habemus enim in Bibliotheca nostra Maxima codicem insignem[4], inter arabicos 882 A, scriptum anno hegiræ 418 (C. 1027), quo continentur Aristotelis opera logica, hoc ordine : *Rhetorica*, interprete anonymo; *Analytica priora*, interprete Jahja ben Adi; *Poetica*, interprete Abu Baschar Mata; *Categoriæ*, interprete Isa ben Zaraa; *Interpretatio*, interprete Isaac ben Honein; *Analytica posteriora*, interprete Abu Baschar Mata; *Topica*, quorum libri septem priores ab Abu Othman Sayid ben Jakub Damasceno, ultimi vero ab Ibrahim ben Abdallah versi fuere. Denique *Elenchorum sophisticorum* quatuor versiones ibi reperiuntur, videlicet Jahjæ ben Adi, Isæ ben Zaraa, Theophili et Lbn Naema. Codex 63 syriacus Mediceus continet etiam librum III *De anima* ex versione Jahjæ ben Adi, karsciunice, id est arabice, sed charactere syriaco.

Sed his tractandis supersedeo, utpote quæ Arabum sunt magis quam Syrorum, et a Wenrichio et

[1] Wenrich, p. 275, 304-305. — Fluegel, p. 15.

[2] Wenrich, p. 131, 301, 305, 306. — Fluegel, p. 27.

[3] Wenrich, p. 126-127. — Fluegel, p. 11. — Hottinger, *Bibl. orient.*, p. 230, 234.

[4] Codex noster eo singularis est quod ipsius possessor, qui sigillum suum libro impressit, vocabatur, *Eflatun*, id est *Plato*.

(1). Vide Steinschneider.

Fluegelio accurate descripta fuere. Omittere tamen non debeo Abulfaragium Benattib (quem cave ne eumdem putes cum Abulfaragio Barhebræo), monachum nestorianum, anno 1044 mortuum, qui philosophiæ peripateticæ operam dedit, et Aristotelem de novo vertendum sumpsit. Ibn Botlan jacobita, discipulus ejus, atque ipse peripateticus, scribit eum viginti annos explicandis Metaphysicis consumpsisse, ac præ nimio iis impenso studio morbum contraxisse, quo extinctus est [1].

Vides quantum commercio Syrorum cum Arabibus mutata fuerit facies philosophiæ tum apud Syros ipsos, tum apud Orientales. Syri enim qui hactenus nihil aliud nisi *Organon* idque decurtatum noverant, totius peripateticæ disciplinæ nunc compotes fiunt. Nec in interpretum munere substiterunt; ipsi enim primi lingua arabica philosophari cœperunt, sæculumque unum et amplius effluxit antequam Arabes ipsi hæc studia tangere per se tentarunt. Syri sunt enim Alkindius [2], Kosta ben Luca, philosophiæ arabicæ primævæ oculi. Syros et christianos medicos audierunt Alfarabius et Avicenna; denique pronuntiare licet totam philosophiam arabicam a Syris et christianis inchoasse [3].

[1] Abulf. *Dyn.*, p. 233-34. — *Chron. syr.*, p. 244. — Assemani *Bibl. orient.*, t. II, p. 309; t. III, part. I, p. 265, not., 271, not., 544, sqq. — Wenrich, p. 137.

[2] De religione Alkindii valde dubitatur. Cf. de Sacy, *Relation de l'Égypte d'Abdallatif*, p. 487, sqq.

[3] Buhlius (Prolegg. ad edit. Opp. Arist., t. I, p. 317) Judæis in his studiis partem tribuit, nullo jure, quandoquidem Judæi philosophiam græcam colere non cœperunt, nisi post Arabum vestigia.

Postea vero a discipulis suis Arabibus superantur, ac velut in umbram reponuntur.

Præteriri tamen nequit Syros nonnullos qui philosophiam colebant ethnicos non christianos fuisse. Portentum enim valde singulare est schola illa Harranensis, in qua religiones ethnicæ fere ad sæculum XI duraverunt, simulque floruerunt philosophia et artes liberales veterum. Inter doctores hujus scholæ præcipui eminuerunt Thabet ben Korrah, circa annum 900, astronomiæ et dialecticæ scientia clarus, necnon Senan ben Thabet et Thabet ben Senan filius et nepos ejus, de quibus videsis Barhebræum[1]. Referre juvat locum insignem Thabetis ben Korrah, qui scholæ Harranensis indolem probe refert, quemque nobis servavit Barhebræus[2] : « Quum multi in errorem seducti fuerint per cruciatus, patres nostri a Deo adjuti restiterunt fortiter, neque unquam polluta est urbs hæc benedicta errore nazareno. Ecce sumus hæredes ethnicismi qui orbe toto celebratur. Fortunatus enim ille est qui persecutionem patitur, sperans fore ut ab ethnicismo comprobetur! Quis, quæso, terram habitabilem reddidit et in civitates distribuit, nisi optimates et reges ethnicismi? Quis portus et fluvios disposuit? Quis doctrinas absconditas protulit in lucem? Cuinam Deus divinationes concessit et res futuras indicavit, nisi illustribus inter ethnicos? Hi omnes artes coluere, revelant medicinam animarum, ostendunt earum redemptio-

[1] *Chron. syr.*, p. 179-181; 187-188. — *Dyn.*, p. 184-185, 192, 197, 208.

[2] *Chron. syr.*, text. p. 176-177; transl. p. 180-181.

nem, manifestant etiam medicinam corporum, indicant orbi directionem negotiorum et sapientiam summam. Sine his ethnicismi virtutibus vacuus fuisset orbis, atque inopia et egestate obductus. »

IX.

De ultimis fatis philosophiæ apud Syros. — De Barhebræo.

Ex quo, ut supra ostendimus, Syri, præsertim Nestoriani, Arabum magistri facti sunt, philosophia Syrorum a philosophia Arabum secerni non debet, Syrique pæne omnes qui de his disciplinis scribunt, arabice scribunt. A sæculo inde IX, scholæ syriacæ omnino languent, ita ut, teste Sabarjesu patriarcha, anno 834 scribente, « nullus jam juvenis litteratus inveniretur, magistrique scholares ad discendum cogerent, sicut medici ægros ad absynthium, vel socotorinam aloen, nec ad scholam quisquam veniret nisi fame coactus[1]. » Circa a. 1080, videmus Nestorianum quemdam, nomine Jahjam ben Djezala, qui, quum dialecticam discere cuperet, nullusque esset in illa secta eo tempore scientiæ huic docendæ idoneus, Motazelitam quemdam magistrum sibi sumere coactus est, qui quidem logicis tricis adduxit hominem ad islamismum profitendum[2].

Nonnulli tamen Syri reperiuntur adhuc qui syriace philosophantur. Eo vero differunt a philoso-

[1] Assem., *Bibl. orient.*, t. III, pars II, p. CMXL.

[2] Assem. *Bibl. orient.*, t. III, pars I, p. 548-49.

phis syris vetustioribus quod more Arabum nunc philosophantur. Disciplinam enim acceptam a Syris mirum in modum Arabes auxerunt; hisque incrementis aucta philosophia ad Syros remeavit. Ita factum ut philosophia Syrorum, quæ olim *Organo* inclusa erat, nunc universas aristoteleæ philosophiæ partes complectatur.

Inter eos qui philosophiam arabico-peripateticam syriace coluerunt, eminet Gregorius Barhebræus, arabico nomine dictus Abulfaragius, scriptorum jacobitarum facile princeps [1]. Natus est Melitinæ, anno 1226, patre Aarone, medico judæo, qui fidem christianam amplexus videtur. Tribus linguis, græcæ, syriacæ, arabicæ a puero operam dedit. Anno 1246, episcopus Gubæ ordinatus; anno sequenti, episcopus Lacabenæ; anno 1252, episcopus Alepi; anno denique 1264 fit maphrianus seu primas Jacobitarum, moriturque anno 1286: vir omni tempore summus, illo vere singularis, totamque disciplinæ qualis illa ætate fuit rationem complexus. Historica, grammatica, poetica, theologica, canonica, physica, medica, philosophica opera ejus Assemanus recensuit [2]. Nos philosophica tantum referemus, inter quæ hæc potissimum memoranda sunt: 1° *Liber pupillarum*, continens doctrinam *Isagoges*, *Categoriarum*, *Interpretationis* et *Sophisticorum*. Legitur in codice nostro syriaco 138 [3]. 2° *Liber sermonis sapientiæ*, quo continetur dialec-

[1] Assem., *Bibl. orient.*, t. II, p. 244, sqq.

[2] *Bibl. orient.*, t. II, p. 268, sqq. — Evod. Assem., *Catal. codd. orient. bibl. laurent. med.*, p. 105, sqq.

[3] Erravit Wenrichius, dum credidit hunc librum meram esse Aristotelis translationem (*De auct. græc. vers.*, p. 282).

ticæ, physicæ et theologiæ compendium. Exstat Parisiis, in codice 138, syriace et karsciunice. 3° *Liber Ethicorum*, Politica et OEconomica complectens, in codice Vaticano 171 et 172 (karsciunice). 4° *Logica* Avicennæ syriace translata, in codice Vaticano 191. 5° Opus præstantissimum, cui titulus *Hewat hecmeto*, seu *Butyrum sapientiæ*, quod totam peripateticam disciplinam complectitur, hodieque pro philosophiæ Summa apud Syros homines habetur, ut mihi sacerdos chaldæus Mossulensis affirmabat[1]. Codices tamen hujus operis in Europa rari sunt, unusque quem sciam jampridem noscebatur in bibliotheca Medicea Laurentiana, duobus voluminibus constans (nº 186-187). Ego vero pluteos hujus bibliothecæ inspiciens, animadverti codices quatuor, quibus numeri 176, 177, 178, 179 adfixi sunt, et qui, si Evodius Assemanus verus esset[2], Aristotelis translationes ab Honeino confectas continerent, revera exhibere partem priorem encyclio-pædiæ hebræanæ, ita ut quatuor hi codices uni codici Laurentiano 186 respondeant: sunt enim nitido ac splendido charactere exarati ab ipso Antonio Sionita, maronita erudito. Hæc autem est totius operis synopsis. In tres partes dividitur, quarum prima novem libris absolvitur: I. Isagoge; II. Categoriæ; III. Περὶ Ἑρμηνείας; IV. Analyticorum liber prior; V. Analyticorum liber posterior; VI. Dialectica; VII. Sophistica; VIII. Rhetorica; IX. Poetica. Pars

[1] Assemanus (*Bibl. orient.*, t. II, p. 270) perperam vocat istud opus *librum sapientiæ sapientiarum*, quasi titulus esset *Hecmat hecmeto*.

[2] *Catal. codd. orient. bibl. med. laurent.*, p. 322.

secunda physica complectitur, quæ quidem octo tractatibus continentur : I. De auscultatione physica; II. De cœlo et mundo; III. De meteoris; IV. De generatione et corruptione; V. De fossilibus; VI. De plantis; VII. De animalibus; VIII. De anima. Sequuntur in parte tertia opera metaphysica, in duos tractatus divisa, quorum alter primo de origine et auctoribus philosophiæ agit, tum de theologia sive metaphysica; alter 1. de rebus ethicis, 2. de œconomicis, 3. de politicis disserit. En synopsin philosophiæ peripateticæ, qualis Syris hujus ætatis innotuit. Ratio vero philosophandi barhebræana simillima est rationi Alberti Magni. Divisiones philosophiæ titulis operum Aristotelis plane respondent : sententiæ eædem sunt quæ in philosopho, ordo idem, verba tantum mutata; aut certe verba Aristotelis a verbis paraphrastæ non discernuntur, ut fieri solet in commentariis fusioribus. Ceterum doctrinæ propriæ nihil apud Barhebræum quærendum est. 6° Hujus operis majoris epitomen confecit Barhebræus, easdem partes complectentem, hoc titulo : *Mercatura mercaturarum*. Exstat liber in bibliotheca Medicea, cod. 200. 7° Denique omitti non debet opus singulare, quod invenitur in codicibus Vaticano 174, Mediceo 62 et Parisiensi 118, cui titulus : *In illud Socratis : Bona lex, sed melior philosophia*. Dialogus est more socratico, auctore Barhebræo, dignus qui in publicum edatur. Ibi insertum est carmen *quod sapientes in hoc mundo despectui et odio haberi soleant*, rhythmice decurrens, ea lege ut ὁμοιοτέλευτα cuncta verba græca sint in σις desinentia, ut : κάθαρσις, τάξις, ἀπόστασις, ἀπόδειξις, πρᾶξις, ὄψις.

λέξις, etc., qui mos versificandi apud Syros non admodum rarus est[1].

Præterea, non pauca monumenta eruditionis philosophicæ Barhebræi exhibent opera ejus historica duo, videlicet *Chronicon* syriace et *Historia dynastiarum* arabice. Sedulo enim ad unamquamque dynastiam referre curat singulos philosophos qui ea tempestate floruerunt. Temporum quidem ratio non raro turbata est, fabulæque inanes recitantur : nihilo secius fatendum est ibi scientiam non mediocrem philosophiæ Græcæ reperiri. De tota ratione hujus philosophiæ audi ipsum disserentem : « Scias philosophos qui de rerum principiis inquisiverunt dividi in profanos[2], naturales et theologos (seu metaphysicos). Profani secta sunt antiquorum qui mundo conditorem et gubernatorem esse negarunt, affirmantes nunquam non exstitisse mundum per se a nullo opifice conditum. Naturales sunt qui naturarum actiones et passiones, et quæ ex mutuis earum actionibus oriuntur, rimati sunt, et quæ plantis proprietates sint, quæ animalium membris compositio, indagarunt, Deo gloriam tribuentes, et affirmantes eum potentem, sapientem et omniscium esse, nisi quod animam una cum corpore interire nec superstitem esse opinantur. Theologi tandem (seu metaphysici) appellantur a Græciæ sapientibus qui his tempore posteriores fuere, quales Socrates, Platonis præceptor, et Plato Aristotelis. Aristoteles

[1] Exempla plurima ejusdem generis habentur in codice Vaticano 217.

[2] *Dahriûn,* id est *mundani,* sunt apud Arabas secta virorum impiorum, animamque perire credentium. Ita lexicographi. (Vid. Freytag, *Dict. arab. lat.*, s. h. v.)

autem is est qui has disciplinas in ordinem et methodum redegit, earum fundamenta stabilivit, quæ in illis utilia sunt, ornata reddidit, massæ earum insulsæ fermentum indidit, et crudas adhuc ad maturitatem perduxit, qui sermonis (i. e. logicæ) vias et canones explicuit, qui profanos et naturales confutavit, ipsos inclamans et eorum erroribus in lucem proferendis incumbens. Platonis et Socratis sermones defæcavit, firmavit, excoluit; adeo ut evaserit oratio ejus omnium elegantissima, optime composita et significantissima. Quisquis autem ipsius verba e græco in alias linguas vertit, immutavit, conjectavit, nec debito more rem egit[1]. » Ceterum quantas curas Aristoteli Barhebræus impenderit ex hoc patet quod narrat quidam, eum librum Aristotelis *De auditu* (id est Physica, quanquam Fabricius censet esse librum Περὶ ἀκουστῶν) quadragies legisse, et eidem libro suprascripsisse : *Vellem iterum legere*[2]. Nec immerito quidam e doctoribus Meragensibus dicebat : « Quum audio aliquam quæstionem ex ore Maphriani, ita mihi videtur ac si ex ore Aristotelis sapientiam discerem[3]. »

Theologia barhebræana ipsa Aristotele plena est, et scholasticorum nostrorum tractatibus simillima. Exempli gratia memorabo quæstionem quæ in codice Vaticano 159 legitur : *An Christus sub decem prædicamentis comprehendatur*[4]. Ceterum

[1] *Dyn.*, text., p. 93; transl. p. 60.

[2] Fabricius, *Bibl. gr.*, t. III, p. 245 (edit. Harles).

[3] Assem., t. II, p. 273.

[4] Assem., *Catal. codd. bibl. vat.*, t. III, p. 313.

habemus specimen studiorum philosophicorum hujus ætatis ab ipso Barhebræo delineatum. Ipse enim libros quibus pueri erudiendi sint recensens, postquam Scripturam sacram et SS. Patres commemoravit, hæc scribit : « Ex doctrinis autem externorum (i. e. paganorum, οἱ ἔξω), liber Antonii Tagritensis; item Aristotelis Logica, Categoriæ, Περὶ Ἑρμηνείας, Analytica, Topicorum libri octo, Elenchi sophistici, Poetica, Rhetoricæ libri tres, libri quatuor Mathematicorum (Meteorologicorum vult Assemanus, quod non probo), qui linguam exornant, et libri De physico auditu qui mentem in quæstionibus exercent. Ex metaphysicis materia tanta accipienda est, quantam et nos accepimus in libro nostro quem *Candelabrum sanctorum* inscripsimus, et in altero minore quem titulo *Radiorum* prænotavimus, ubi eos disputando confutavimus qui Deum quidem noverunt, sed non tanquam Deum glorificaverunt[1]. » ✗

✗ Mortuo Barhebræo, studia Syrorum omnino evanescunt. Ebedjesu nestorianus, metropolita Nisibenus factus anno 1290, mortuusque anno 1318, solus post eum aliqua laude philosophiæ floruit. Scripsit librum *De philosophia Græcorum* et expositionem epistolæ pseudepigraphæ Aristotelis ad Alexandrum de arte magna[2], de qua videsis Fabricium[3]. Sed præcipue doctis viris hic se commendavit catalogo librorum rhythmico, ad cognoscendam rem litterariam Syrorum, et in primis ipsorum

[1] Assem., *Bibl. orient.*, t. III, pars II, p. CMXXXVIII, sqq.

[2] Ibid., part. I, p. 360.

[3] *Bibl. gr.*, t. III, p. 282, sqq.

philosophiam utilissimo, quem vulgaverunt Ecchellensis et Assemanus.

Sæculis posterioribus, vix unum et alterum invenias inter Syros qui philosophiæ nomine celebrari mereatur. Noe Bacuphenen, Libaniotam, patriarcham Jacobitarum anno 1451 natum, reperio auctorem libelli rhythmici de Universalibus, quod codice Vaticano syriaco 174 continetur[1]. Abraham Ecchellensis, mortuus anno fere 1664, omitti non debet. Codex noster 161, qui nobis in hac commentatione toties usui fuit, ipsius manu exaratus est, scholiaque ab ipso profecta exhibet. Sed rerum humanarum mirare vices : Syri, qui primi fuerant magistri Arabum, nunc Arabum discipuli sunt, atque ab iis documenta philosophiæ recipiunt. Patriarcha Chaldæorum (circa annum 1691), Josephus II, narrans apud Assemanum[2], suorum studiorum rationem, fatetur se cuncta didicisse ab Arabibus, quod nulla christianis in Oriente pateret schola, seque fuisse coactum ex arabico in syriacum vertere librum Dialecticæ, quia veterum librorum philosophicorum nullus præsto erat. Nostris tamen diebus, Aristoteles adhuc logicæ magister est apud Chaldæos, seu Syros orientales; quumque percontarer a presbytero quodam hujus sectæ Parisiis hospitante, quinam libri præcipue in scholis popularium ejus usui essent, primus quem memoravit fuit *Isagogi*, quem profundissimum difficillimumque affirmabat, dein *Butyrum sapientiæ* Barhebræi. Apud Turcas nostræ ætatis res eodem

[1] Assem., *Catal. codd. bibl. vat.*, t. III, p. 354, sqq.

[2] *Bibl. orient.*, t. III, part. I, p. 603-604.

modo se habet, interque libros qui logicæ docendæ inserviunt, *Isagugi* (ut aiunt), et libelli quidam ex Organo excerpti locum classicum obtinent[1]. Quid? quum Algeriis eos indigenas qui se eruditulos ostentant de philosophia interrogas, nomen *Arstatalis* tibi jactant : scilicet hæc tota eorum philosophica disciplina est.

EPILOGUS.

Restat ut articulis brevibus ea quæ hoc libello demonstrare conatus sum comprehendam :

1° Syros a Nestorianis disciplinam philosophiæ græcæ accepisse;

2° Aristotelem ab ipsis non electum, sed a Græcis tradentibus receptum ut logicæ magistrum;

3° Syros nestorianos philosophiam Græcorum peripateticam apud Persas, Chosroe imperante ac favente, propagasse;

4° Syros jacobitas sæculis VI et VII Aristoteli summas curas impendisse, in scholis præcipue Kinnesrinensi et Resainensi, hujusque studii præcipua monumenta in Museo Britannico asservari;

5° Syros hujus ætatis nihil nisi Organon, idque mutilum novisse;

6° Syros philosophiæ arabicæ auctores primos fuisse, Abbasidis rerum potientibus ac studia philosophiæ foventibus;

7° Omnes qui Aristotelem arabice verterunt sæ-

[1] Toderini, *Letteratura turchesca*, t. I, p. 79, sqq. (Venez., 1787.)

culis IX et X, ad unum Syros et christianos fuisse, eorumque versiones e syriaco plerumque fuisse factas; vix unum Moslemum græce scivisse;

8° A sæculo X, philosophiam apud Syros marcescere, ipsorumque disciplinam deinceps ex arabicis fontibus esse haustam, atque ita Aristotelis opera universa in eorum manus venisse;

9° Syros, ut tempore ita et studiorum ratione, locum medium tenere inter scholam alexandrinam et philosophiam arabicam, ita ut per eos ab ultimis philosophiæ græcæ temporibus ad philosophos arabas una series continuetur.

Habes Syros philosophantes : qua in re mehercle eorum merita ut plus quam decet extollere nolim, ita eorum laudi quidquam detrahere indignum duco. Fatendum est eos ingenio proprio nihil excogitasse, imo græcæ sapientiæ universæ amplectendæ impares, angulum unum, eumque situ et aspectu asperrimum ex illo, quo spatiatur Græcia, vastissimo campo perlustrasse. Logica apud eos una est et tota philosophia, atque pro illa amplissima disciplina, qua veterum ingenia colebantur, hi nisi tricas dialecticorum, nominum definitiones, categorias inaniaque vocabula recantant. Hæc fata fuere studiorum antiquorum, quum devenere in manus hominum agrestium, qui ad pinguem Minervam pulchra illa inventa adaptarunt, fere ut gemma antiqua ac nobilis, cui Jovis aut alius cujusvis numinis imago insculpta est, barbarorum hominum præda facta, bulla fit infantium, ludisque puerilibus usurpatur. Habet humana doctrina vices suas, fierique solet ut quæ summorum virorum ingenio fuerunt excogitata, vix capiant ho-

munculi qui in ipsorum locum subeunt, atque in tenue quiddam ac leve mutetur docte ac graviter instituta studiorum ratio. Quid plura? Eane fata nos manent ut, Syrorum more, extenuati ac degeneres homines, disciplinam majorum ferre non valeamus, ac satis nobis sit particulas aliquas eorum ingenii sinu nostro fere jam frigente fovere? Quod omen detestabile Deus O. M. avertat, ac prius nos e medio tollat, quam videamus, ingravescente stoliditate, bonas artes atque humanitatis liberalem cultum pessum ire!

INDEX.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. vij kalend. februar. ann. M DCCC LII,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J. Vict. LECLERC.

Vu et approuvé

Par le Recteur de l'Académie de la Seine,

CAYX.

DE L'IMPRIMERIE DE CRAPELET, RUE DE VAUGIRARD, 9.





